





Coll. complet
L. S.

de Backer, t. II,
p. 68 - n° 4 -


Le P. Strobach, missionnaire aux Philippines
et aux Mariannes.

VITA
ET
OBITUS

VENERABILIS PATRIS
AUGUSTINI STROBACH
è SOCIETATE JESU,
EX
Provincia Bohemiæ
pro Insulis Marianis electi
MISSIONARII;
ET à
Rebellibus Sanctæ Fidei in iisdem Insulis barbarè trucidati
ANNO 1684. MENSE AUGUSTO.
CONSCRIPTA
à
P. EMMANUELE
DeBOYE, è Societate JESU,
 Anno M. DC. XCI.

CUM LICENTIA ORDINARII.
OLOMUCII, Typis Joannis Josephi Kylian,

REVERENDISSIMO
AC
ILLUSTRISSIMO
DOMINO DOMINO
JOANNI
JOSEPHO
S.R.Imp.COMITI
BREÜNER,
Nobili DOMINO in Statz,
LIB. BARONI in Stubing,
EPISCOPO
NICOPOLITANO,
Cathedralis Ecclesiæ Olomucensis
DECANO,
&
PRIMO PRÆLATO,
Celsissimi ac Reverendissimi PRINCIPIS
EPISCOPI OLOMUCENSIS
Suffraganeo, in Spiritualibus Vicario
Generali & Officiali, nec non ad
S. ANNAM
RECTORI PERPETUO, &c. &c.
DOMINO DOMINO.



REVERENDISSIME
AC
ILLUSTRISSIME
PRÆSUL
DOMINE DOMINE



Uus est Venerabilis hic Vir, qui utramque nobis paginam fecit. Nos vitam & obitum damus: Tu lucem utrique. Redit ad ma-

manus, à quibus accepit ut tantus esset. Quem dum anno salutis 1674. die 25. Februarii per impositionem manuum Sacrarum ad Sacerdotalem dignitatem evocares, sic eum Sacrificio Incruento aptâsti, ut simul designares cruentam Victimam, decennio pòst, anno nimirum 1684. Mense Augusto, in Marianis Insulis, pro fide sancta immolandam. Quamvìs enim à primo vitæ melioris diluculo in hanc spem se erexerit: illam tamen à Tuis manibus, Sacerdotali charactere confirmatam, se accepisse, nobis ex Hispania scripsit, dum ex portu Gaditano in

Orbem

Orbem alterum hæc ipſa vota illum à nobis transferrent. Sors nimirum tam beata in Tuis manibus erat, quam die illa, quâ S. Mathias annumeratus eſt Apoſtolis, ex Sacro calice, velut ex urna extraxiſti. Tunc enim adhuc à Sacro Oleo calens, in hanc flammam exarſit, ut in corde ſuo diceret: Quis mihi hoc tribuat, ut Sacrificio huic Incruento, ſuo etiam tempore alicubi in Indiis ſuccedat cruentum. & meipſum hoſtiam adjungam in holocauſtum Altiſsimo! *Ratum habuit hoc votum Altiſſimus, & per manus Tuas aſcendit in odorem ſuavitatis.*

vitatis. Tu Oleum affudisti, quod in tantum Divini amoris exarsit incendium, & ad fontem jam refluit, in oram vestimenti Tui. Est prima ex Provincia nostra in Insulis Marianis hostia, quam manus Tua altari imposuit; primitiæ debentur Sacerdoti Magno, cum quo victimas penè omnes partiri voluit Magnus DEUS. Simul filius est: quia, utì rectè asserit Divus Julianus, (a) Patres nostri sunt Episcopi: per ipsos enim veram nativitatem suscepimus; *dum per manuum impositionem illum nobis spiritum infundunt, quo regenerantur omnes animæ in*

(a) apud Surium tomo I.

in vitam æternam. Patere igitur, ut ad Patrem redeat Porphyrogenitus Benedictionis Tuæ filius. Neq; est quod addamus nos qui jam quæ de manu Tua accepimus, dedimus Tibi. (a) *Addat* Benedictionum Dominus, *quam nos non possumus,* benedictionem pro benedictione. *Cum quo voto simul laboris mei, Benedictionis Tuæ partum, in manus Sacras quàm reverentissimè consigno.*

(a) 1. Paralip. c. 29.

REVERENDISSIMO ac
ILLUSTRISSIMO NOMINI
TUO

devotissimus & humillimus
in Christo servus
Emmanuel de Boye S. I.


JOANNES WALT

Societatis JESU per Boëmiam Præpositus Provincialis.

Cùm librum, cui titulus: *Vita & Obitus Venerabilis Patris Augustini Strobach è Societate JESU*, à Patre Emmanuele de Boye, nostræ Societatis Sacerdote conscriptum, tres ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi posse judicaverint: potestate à Patre Nostro Thyrso Gonzalez, Præposito Generali, ad id mihi datâ, facultatem concedo, ut liber typis mandetur. In quorum fidem has literas manu mea subscriptas, & sigillo Officii mei munitas dedi. Novædomi 18. Aprilis, Anno 1691.

L. S.

JOANNES WALT.



VITA ET OBITUS
VENERABILIS
P. AUGUSTINI STROBACH
Societ. JESU.

CAPUT I.
Natales Venerab. P. Augustini & primæ ætatis Studia.



VIr ex paucis nobilis, & non minimæ authoritatis, cùm intellexiſſet, in delectu Sociorum ex Regno Bohemiæ pro Marianis Inſulis Venerab. Patrem AUGUSTINUM STROBACH, in primo quidem Scrutinio præteritum, mox tamen velut alterum pro Rodericio

Xaverium, alteri Sacerdoti jam præelecto ſubrogatum fuiſſe, in hanc memorabilem vocem, animi ſui congratulationem explicuit, dicens: DEI digitum direxiſſe hanc ſortem, valiturum enim quàm belliſsimè pro Inſulis illis Barbaris, ad agnitionem veri Numinis, & S. Evangelii obedientiam perducendis, virum illum, qui ipſa in fronte ac vultu ſignum rei ſacræ, ceu characterem virtutis præferret, futurum proinde vel ſolum illius aſpectum, Barbaris illis gentibus pro magno Sanctæ Fidei argumento. Et verò hanc ſui æſtimationem omnibus impreſſit, qui vel à prima innocentia illum noverant, vel deinceps per vitam in Religione actam eo familiriariùs uſi ſunt: ſic, ut ex eventu licuerit concludere, altiſsimam DEI Sapientiam velut ab utero pretioſam hanc animam deſignâſſe in vas electionis, ad portandum, & annunciandum Nomen ſuum gentibus, quando nimirum à primo ſtatim rationis diluculo totum illius affectum

fectum ad ſtudium vitæ ſanctioris, & ſummi ac incommutabilis Boni amplexum convertit, eâ in ſancto propoſito conſtantiâ, ut à fervòre, quem puer conceperat, remiſerit nunquam, ſed per incrementum ætatis inſigniter auxerit, profectum in exercitiis pietatis ſtrenuè perurgendo, nullo alio Doctore & Magiſtro, quàm illo, qui ſpirat ubi vult, & quantum vult. Hæc Juſtorum eſt ſemita, per quam currunt inoffenſo pede, dum ſe totos Spiritui regendos permittunt, uſque in perfectum diem.

Quoniam verò à prima educatione ſpes maximæ pendent, hac primâ illum gratiâ dignata fuit DEI miſeratio, ut progenitores nanciſceretur optimos. Avitæ enim & Catholicæ ſemper Religionis erant, atque inter ſuos morum honeſtate, ac vitæ integritate ſingulariter ſpectabiles.

Iglavia, Urbs ex primis in Marchionatu Moraviæ, Virorum Præclariſſimorum Patria, naſcentem excepit.

Pater erat Joannes, Margaretha Mater, par lectiſsimum conjugum; ut, qui fructum ferè omnem ſancti Matrimonii, in unius DEI obſequium, ex conſenſu mutuo, æmulâ tamen pietate, gratanter conſecrârunt. Tres enim proles maſculas, Societati JESU tranſcripſerunt, inter quos *Auguſtinus* naſcendi ordine medius fuit. Natu major, hodiedum ſuperſtes *Joannes*, natu minimus *Tobias*, dum eadem chariſmata æmulatur, ex primo Theologiæ anno præripitur, cum ſingulari apud poſteros commendatione vitæ religioſiſsimè transactæ.

Augustino inſuper ex fonte baptiſmatis nomen *Ignatii* adhæſit, quòd Sancti hujus patrocinio adjutam ſe meminiſſet Mater, ut Filium hunc, in ſalutem gentium deſtinatum, ſinè magnis doloribus, felici partu, eniteretur. Pro tertio parvulus ipſe in Sacramento Confirmationis *Aloyſii* nomen aſſumpſit, quòd jam tunc in animo ſuo conſtituiſſet, mores ſuos innocentiſsimos

mos ad hanc normam penitus exigere; ad quod inducebatur propensione illa, ad eadem pietatis exercitia, quibus Angelicum hunc juvenem infantiam, & primæ ætatis studia consecrâsse audierat. Tum verò maturuit in virum, in Xaverium Indiarum Apostolum totum obtutum mentis convertit, cujus etiam abiens in Indias nomen assumpsit, vocatus deinceps *Carolus Xavier*, ut illum non minùs moribus exprimeret, quàm credebatur, ex vultu, ex oculis, & lineamentis reliquis corporis, utcunque ad vivum referre. In justam enim staturam excreverat, supra mediocritatem proceram, capillo nigro, & copioso, fronte amplâ, diductâ magìs quàm altâ, oculis verecundis, genis pallentibus, toto denique corporis habitu ad decentiam efformato.

Mater optima, quam post se reliquit superstitẽ, ùt primùm intellexit beatissimum ejus obitum, non in lacrymas, sed, quas Divinæ Bonitati debebat,

reverentes gratias effuſa, *Fateor*, ajebat, *tanto me munere indignam: ſed quando ità Cœlo placuit me conſolari, DEO ſit omnis gloria, qui tali me filio beavit, qui ejus, quam à teneris unguiculis cum lacte imbibit, pietatis nunquam ſatur, nunquam pertæſus, nunquam ab ea, per omnem vitam mihi cognitam, receſsit.* Ut enim Triviales ludos frequentare cœpit, domi in ſecretiore camera, aram ſibi erexit, ad quam & Sacerdotum Sacrificia imitabatur, & preces innocentes affectu majore, quàm ætas ferret, aſsiduus & de genibus perſolvebat. Neque dubium hiſce tam tenellæ pietatis fomentis exarſiſſe in illa deinceps incendia, de quibus in valedictoriis ad Matrem ſcribens fatebatur, *gaudia ſe ſua jam ſinu continere non poſſe, quòd ad illas miſsiones Optimi Numinis favore admiſſus ſit, ad quas adhuc puer tanto deſiderii ardore ferebatur.*



CAPUT

Caput II.

Primæ literæ, & ſtudia manſuetiora.

EDoctus jam & dignoſcere, & calamo imitari primos latinitatis characteres, quia indolem prodebat maximis parem, & propenſionem animi ad omnes meliores artes, translatus fuit ad Gymnaſium Societatis *Auguſtinus Ignatius*, multiplici fænore, quo accumulabat gaudia domûs totius, inprimis Matris. Hæc enim vigili oculo obſervans pietatis cum ætate paria ſemper incrementa, gaudebat & dolebat, velut Monica pro Auguſtino, ex cauſa tamen diſpare. Lætabatur ex felicibus progreſsibus filii, dolebat ex affectu Matris. Nec enim aliarum lacrymarum filius fuit, quàm ſuperabundantis conſolationis, quâ diffluebat cor piæ Matris, dum in eo admiraretur jam in illa ætate ſolitudinis propoſitum, & protracta in oratione

ſoliloquia. Totum enim, quod à penſisScholaſticis ſupererat tempus,in receſſu ad oratorium ſuum tranſigebat, obſervatus à Matre frequentiùs in ardentiſsima ſuſpiria incaluiſſe. Quâ ſolitudine ſe tuebatur adversùs juventutis lubricæ pericula. Nulli enim Sodalium adjungebatur, ſive illum ad fallendum tantiſper luſu tempus invitarent, ſive ad otioſas extra urbem excurſiones protrahere conarentur, ſive ad liberiorem auram evocarent. Negotium illi erat, quo ſpiritum excolebat, jam ex libello, jam ex memoria orationum penſa perſolvens; ſæpius inventus in ſilentio, ſinè voce, Divina meditari, decuſſatis ante pectus brachiis. Ex qua cum DEO conſvetudine illam referebat morum gravitatem, quæ quia ætatem excedebat, paſsim & familiari joco, tum à domeſticis, tum ab æqualibus indigitabatur, *mirabilis puer*. Matri verò, quæ initia & progreſſum, actiones demum ejus omnes in corde ſuo conferebat,

gau-

gaudium erat, & riſus conſolationis dulciſſimæ, non tamen ſinè dolore; quis enim in Matre reprehendat, commoveri viſcera ſuper filiolum, quem advertebat in tenellum, & innocentiſsimum corpus adeò ſeverè animadvertere, ut quoties mutaret ſupellectilem lineam, notas inveniret copioſi ſangvinis, ex flagellis, & ciliciis corpori impreſsis. Noctu enim ſurgebat de lectulo, & ſecretiora domûs loca quærebat, ſub tecto, & aliis in latebris, ut quò ſecuriùs, eò inclementiùs in ſe ſæviret. Tunc verò velut gladio percuſsit cor Matris, cùm ex pallore vultûs ſuſpicata quod erat, deprehendit appreſſum corpori cilicium jam interiora carnis penetrâſſe. Hæc omnia à ſuo Aloyſio didicerat, cujus abſtinentiam ut pariter imitaretur, jejunabat frequentiùs, protractâ etiam in dies integros inediâ, in tantam, ùt fatetur bona Mater, virium debilitatem, ut vires pro ambulando non ſufficerent. Illud prorſus inſolens viſum, in

in quo tamen propoſito Matris pietatem ejus conſtantia vicit, quando toto jejunii majoris, ſive Quadrageſimæ tempore, nihil omnino calidi admittere voluit, in cibum ordinarium. Cùm autem ſacra hebdomada Dominicæ Paſsionis adveniſſet, ſtatuerat, totum id tempus penitus ſinè potu, ſinè cibo impaſtus transigere, nisì ad Matris querelas, conſcientiæ & Scholæ Præſides, mandatis ſeveriſsimis ſe interpoſuiſſent, docuiſſéntque, DEO longè gratius daturum ſacrificium, ſi rigorem inediæ, in meritum obedientiæ commutaverit, duplicis meriti victima, ex oblatione voluntatis propriæ in obſequentiam voluntatis alienæ. Paruit tunc ille, ùt erat ad nutum Præſidum ſuorum cereus, quia tamen in ſui ipſius vincendi ſtudio ingenioſus eſt amor, facilè adinvenit novum ſeipſum vexandi argumentum, priore fortè moleſtius, quando per Sacrum illud Triduum ſibi ſeveriſsimum ſilentium indixit, ut neminem allo-

alloqueretur, nulli verbum interpellatus reponeret. Quas tunc ſuſtinuit à coætaneis vexas & irriſiones? à domeſticis etiam reprehenſiones? eſt qui teſtatur, neque verberibus adigi potuiſſe, ut vel dolore exprimente, verbum redderet: verè *puer mirabilis*. Cui & illud adſcribo, huc ſpectans: propoſuerat in animo, nihil unquam ulli hominum negare, quod à ſe peteretur, in honorem ſancti Tutelaris ſui *Ignatii;* Intellexerant hoc collactanei, qui plus nimio Sancto hoc ejus propoſito abuſi, quoties vel ob negligentias Scholaſticas, vel alia ſimilis culpæ merita damnabantur ad pœnam, putà verrendi Scholam, recurrebant illi audacter ad *Auguſtinum Ignatium* orantes per *S. Ignatium*, pœnam ut hanc in ſe ſuſciperet, & innocens pro nocentibus perſolveret; quod ille, doli non ignarus, arridente vultu faciebat, ſic ut tandem adverſum fuerit, majori anni parte ſervum vernaculum Scholæ egiſſe. *Puer* verè *mirabilis*. Et hæc

Rudi-

Rudimenta erant, quibus ab interno Magiſtro exercebatur pro Nobiliore palæſtra.



Caput III.

Altiora ſtudia, & admiſſio ad Societatem JESU.

DUm ità in omni gratia proficit, abundantiùs etiam Divino lumine illuſtrabatur, ità ut jam penitus agnoſceret, vocari ſe à DEO ad JESU Societatem. *Quam vocationem* (ſic de ſe ſcribit) *primùm bene concepi in ſuprema Claſſe Grammaticæ, fovi per omnia ſtudia humaniora, per trienniū Philoſophiæ, uſque in alterum Theologiæ ſpeculativæ annum: Nunquam dubitans, hanc mentem à DEO eſſe. Deliberationem tamen adhibui, quantam per incrementa ætatis potui, adhibitis etiam in conſilium Conſcientiæ meæ directoribus; ſemper enim conſtantem habui, cui omnia Conſcientiæ meæ arcana perſpecta eſſent. Tempus deliberationis*

nis elegi in ſacro quotidiano poſt conſecrationem; feſtis autem & Dominicis diebus, ſacræ Communionis.

Movebat autem me ex primis, ut Societatem JESU eligerem, Amor DEI & proximi. DEI quidem, quòd hoc Religioſæ vitæ inſtitutum adverterem in propagandã majorem DEI Gloriam ex fine ſuo dirigi, & omnia in hac Societate fieri purè ac unicè ex ſtudio promovendi obſequii Divini: Proximi verò, quòd omnia Miniſteria hujus Religionis indiſſolubili nexu ſalutem etiam alienam ſpectarent, erudiendo parvulos in Catechiſmis, plebem & populum pro Concionibus, omnes bonas diſciplinas tradendo in Scholis, penetrando etiam in ultimas mundi partes cum profuſione ſanguinis & vitæ, ad quod ſemper ardentiſſima in me ſenſi deſideria. Deinde videbar mihi in nullo alio ſtatu meliùs aut convenientiùs talenta, quæ à DEO acceperam, in ejuſdem uſum ac honorem convertere poſſe. Ac tandem Nomen ipſum ſanctiſſimum me invitabat vehementiùs, quòd ſperarem ſub vexillo hujus Nominis faciliùs pertingere poſſe ad imitationem

Ducis

Ducis mei JESU, in Societate illorum, quorum mihi præſcripta vivendi Regula ad amuſsim exhibebat vitam JESU, cùm etiam populari voce Religioſus Societatis, JESU vita audiat. Petii igitur admitti à Poëſi per omnes deinceps annos, & ſemper ſpes dilata afflixit animam. Altiſſimo DEI conſilio, ut protracta deſideria in illud incendium excreſcerent, cui tandem unus Orbis non ſuffecit.

Dumità nititur contra obſtacula, ſtatuit pedem fortiùs figere in ſpem contra ſpem; & ſtudia humaniora, quæ cum inſigni eruditione perſolverat Iglaviæ, commutare cum ſeverioribus Olomucii, ubi ſedes eſt Epiſcopalis, & Univerſale Studium. Ibi admiſſus ad Nobiliſsimum Convictorum Collegium, illis adſcriptus eſt, qui Eccleſiaſticæ militiæ inauthorantur, ut ſic & Altari viveret vicinior, & à ſeculo remotior. Palæſtram jam nactus virtuti parem, ampliſsimas dedit habenas fervori, in utroque ſtudio pietatis & ſapientiæ. Et quidem pro ingenii

nii amplitudine cum dignitate pertractabat Scholaſtica, cum incitamento verò ſodalium, & laudabili æmulatione exercitia virtutum. Sed qui omnium perſtringebat oculos, decor erat & ſplendor quidam theſauri, quem recondebat in corde, à congenita quaſi modeſtia repercuſſus, quæ toto ſe vultu prodebat. Erat enim animô pacatiſsimô, fronte ſemper ſerenâ, in verbis manſvetus, in omni actione ad decentiam compoſitus, nulli moleſtus, ſed ad quævis charitatis officia promtus; in ſe unum rigidus, in quo ſolo egeret moderatore. Quærebat induſtriè occaſiones contemtûs proprii, quantùm admittebat ſtatûs Clericalis ratio, & ſi quid (ùt in juventute & multitudine natum eſt fieri) patiendum etiam contingeret, cum hilaritate excipiebat. Officia viliora, inprimis ſervilia, præripiebat aliis, & quidquid demum ad ſuî confuſionem faciebat. Dum aliis pro conſvetudine in Triclinio accumbentibus prælege-
ret

ret Thomam Kempenſem de imitatione Chriſti, ſtando id fiebat, ſed ut ille riſui ſe proponeret, genibus flexis lectionem auſpicatus eſt, non ſinè juventutis, quæ ignorabat, quo animo id faceret, liberali applauſu. Conſvetas preces, quidquid obmurmurarent Collegæ, tanquam contra exoticos in devotione exceſſus, non alio ſitu, quàm de genibus in nuda humo & manibus ante pectus, vel in Crucem collectis, vel in Cœlum erectis, oculis verò à terra immotis perſolvebat, in nullam partem declinantibus, quamvìs ad hoc repentino ſæpe ſtrepitu provocaretur. Quem ritum in orando per omnem deinceps vitam retinuit, prout uno velut ore teſtantur, qui extra & intrà Societatem illi convixerunt, Diſcipuli inprimis; quos ſive ad ſacrum, ſive alterius exercitii pij causâ ad Eccleſiam duceret, flectebat inter illos, in duro & nudo marmore, ſinè reclinatorio, ſinè ſubſidio ad arcendum frigus à manibus in aſpera hyeme, atque

ità

ità exemplo Professoris in imitationem reverentiæ DEO debitæ svavissimè attrahebantur cerei animi Discipulorum, dum forma gregis sui factus, omnia persvaderet; prout testis mihi est Sacerdos boni nominis, sed secularis, *Venerabilis Patris Augustini*, quo nomine hodiedum gloriatur, carus ex paucis Discipulus. In secretis verò corporis afflictationibus jam Theologus quantum sibi licere censuit, tantum ausus, brevi tempore, quam externa specie diximus retulisse *Xaverii* imaginem, macie & pallore vultûs ad plenam symmetriam absolvit.

Has dotes secum ad Societatis Tirocinium attulit Brunam in Moravia, susceptus & admissus 14. Octobr. Anno à partu Virgineo 1667. *Pro quo beneficio* (scribit ille) *quotidie ter DEO supplices gratias refero, & singulis diebus corporis castigationem offero, & omni possibili modo DEO gratus vivere, & Societate me dignum præstare conor.*

CAPUT IV.

Tirocinium, & primæ Vitæ Religiosæ Occupationes.

IN Tirocinio nihil minùs quàm Tironem egit, qui ante ingressum tam solida posuerat vitæ Religosæ fundamenta. Ivit enim tanquam Veteranus per omnia contemtûs proprii experimenta, in quibus omnibus genuinum se probavit *S. P. IGNATII* filium, sic ut exacto primo Novitiatûs anno Superiores illum censuerint Scholis, & primæ juventutis eruditioni, applicandum. Primùm igitur Znoymam ad docenda Rudimenta missus, simul Tironis, simul Magistri munus ea satisfactione contemperavit, ut utriusque partes bellissimè egerit, suo æquè ac Discipulorum profectui intentus. Nam & Fratrum Coadjutorum ministeria agebat, & labores vilissimos hilari vultu præripiebat aliis; toto enim tempore, quo Znoy-

Znoymæ vixit, directorem egit horologii domeſtici. Somni erat breviſsimi, vix ullius cibi homo, vini uſu propè ſibi interdixerat, & ut hoc propoſitum ratum haberent Superiores, Medicis conabatur perſvadere, abſtinentiam hanc complexioni & valetudini ſuæ maximè congruere. Paupertatis erat tenaciſsimus, viliſsima in domo ambiebat, & pro zona, quâ veſtis adſtringitur, reciſam ex panno oram adhibebat.

Quæ autem ſingulariter in illo eminebat, fuit illa, jam in puero laudata, animi ac vultûs modeſtia, ortum habens ex pudore prorſus Virgineo, cuſtodiâ ſui Angelicâ, indole ſvaviſsimâ, pace & ſerenitate animi perpetuâ, quaſi nullum rebellium paſsionum motum experiri eum contingeret. Perſolutô jam Tirocinii bienniô, ad vota Religioſa admiſſus, munus docendi quadriennio eſt proſecutus, quo ſimul tempore in Cœtibus Marianis juventuti præpoſitus, pro ſuo in ſanctiſsimam

DEI Matrem tenerrimo affectu, eundem quibus poterat induſtriis inſtillare tenellis animis adlaborabat: quotſabbatis facunda diſſertatione celebrabat virtutes, & laudes Virginis, aptiſsimíſque in argumentum exemplis adductis, ſingulares Maternæ pietatis in Clientulos ſuos favores repræſentabat. Feſta ejuſdem exornabat eruditis inſcriptionibus, ſymbolis, & publicis affixionibus. Habebat in hunc uſum Marianarum gratiarum Ephemerides, ex quibus lectiſsima quæque in ſingulas Virginis ſolennitates devotionum ſemper novarum argumenta promebat. Et quia exempli vis maxima, nihil ſvadebat ſuis, quod exemplo ſuo non docuiſſet. Nam & Oratorium Congregationis, cui præerat, ſuis ipſe manibus à ſordibus expurgabat, & ad pietatis officia velut Paſtor gregem deducebat, & quâ animi præſentiâ cum DEO in oratione agendum eſſet, decentiſsimâ Corporis compoſitione, in medio Diſcipulorum flectens

ctens edocebat. Et verò in cereos parvulorum animos nullum adhiberi potuit argumentum efficacius. Cujus rei teſtes habeo quàm plurimos, qui ſub Magiſterio *Magiſtri Auguſtini* ad eruditionem ſingularem in literis, & ſplendorem in virtute ſunt eluctati. Sic de ſe fatetur ex pluribus unus: *Annis duobus, quibus ſub Ven: Patre Auguſtino tanquam Profeſſore indignus vixi Diſcipulus, in illo vivum virtutum ſolidiſſimarum ſpeculum, cum vehementi mei ipſius ad imitationem excitamento ſuſpexi.* Vir enim erat DEUM ſpirans, qui Diſcipulorum profectum in virtute inprimis miris induſtriis promovebat; nec enim alia cum illis, quàm in DEO & Spiritu fundata colloquia inſtituebat, captatâ quâvis occaſione, velut apis argumentoſa, inſpergebat ſalutis documenta. Non facilè ſeorſim loquebatur ulli, neque loco minùs patente, neque fallendi temporis gratiâ, neque cum alienis Diſcipulis, ſuis intentus; quibus ſingularem virginitatis amorem, tanquam

 theſau-

thesauri pretiosissimi, instillabat, sic ut palàm constaret, pupillam oculi læsisse in *M. Augustino*, si quem fama deterior de neglectu sancti hujus propositi insimulâsset.

Revocatus postliminio à docendi munere, ut intermissum Theologiæ studium compleret, quadriennalẽ Cursum pari ingenii & virtutis cõmendatione Olomucii absolvit; jámque Sacerdotii dignitate auctus, ad Rhetoricam profitendam, tum Egræ, tum Hradisstii progressus, laboribus Scholasticis, qui totum hominem requirunt, conjunxit munus Operarii in vicinis Missionibus, in utroque, & pro Rostris, & pro sacris pulpitis, partes omnes Oratoris ambidextri agens, sic ut neque Discipulis in tradendis præceptis Rhetoricæ, neque Rurali popello in explanandis fidei ac salutis dogmatis operam suam deesse pateretur; ad quem pro exigentia promptè semper, vigil ac pernox advolabat. Cùm autem mentio inciderit Hradisstiensis Gymnasii,

ſii, lubet adſcribere juratum teſtimonium, quod ejus pro tempore Rector, Vir in regimine Societatis veteranus, his ipſis verbis concepit: *Ven: P. Auguſtinus Strobach Anno 1677. docuit ſub me Hradiſſtii Rhetoricam. Juratus teſtor, me nec unicum defectum advertiſſe, cujus ille id temporis reus fuiſſet. Virum illum pro ſancto ſuſpexi, præſertim dum ad aras operaretur, quo tempore neſcio quæ ſanctitas ex illo relucebat. Operabatur enim ardentiſſimè, ac modeſtiſſimè, ad ſingularem ſpectantium ædificationem.*



CAPUT V.

Electio ad Miſſiones Apoſtolicas.

SAcerdotio inauguratus Olomucii, eò jam curas omnes convertit, ut ſe ipſum DEO Euchariſtico adjiceret, hoſtiam ſanctam, beneplacentem, & perfectam. Duplici ad hoc uſus præſidio, conjunctione cum DEO intimâ, & irremiſſo ſeipſum vincendi, & affli-

gendi ſtudio. Pro utroq; Scholam na-
ctus ex more inſtitutóq;Societatis con-
venientiſsimam, Telczii in tertia pro-
batione,ad quam, poſt abſoluta ſtudia
omnia, Societatis operarii, antequam
in vineam Domini & meſſem anima-
rum colligendam emittantur, velut in
uterum Matris revocantur, ad conci-
piendum illum fervorem ſpiritûs, quo
confirmati, tanquam virtute ex alto,
ſecuri de ſalute propria, ſi media illa
non negligant,in alienâ procurandam,
per omnem latè Orbem amandantur.

Hoc loco poſitus *Ven: P. Auguſtinus*,
ſtatuit ex fide deinceps vivere, & o-
mnia operari in ſpiritu ac veritate.
Horæ, quas habebat cum DEO, pre-
tioſiſsimæ illi erant. Et cùm eſſet ad
devotionem quaſi à natura factus for-
matúſque, cum ſingulari decore per-
agebat ſacra miniſteria omnia, & ſin-
gula; ſed ſuper omnia, diviniſsimum
ſacrificium, ut videretur DEUM ſub
ſpeciebus Euchariſticis latentem velut
oculis intueri, ſemper inter calentiſsi-
ma

ma ſuſpiria, ſæpe ſæpius copioſas lacrymas, quibus inter ſacrificandum præ teneritudine animi diffluebat. Et quamvìs prolixior eſſet, nemini tamen audientium ingenerabat tædium. Et fuit de ſeculi hujus Viris, qui diceret, nullum ſe ſacrum, ad quod *Ven: P. Auguſtinus* dicendum exiret, neglecturum, quamvìs devotioni ſuæ jam ſatisfeciſſet. Quo pietatis magnetiſmo in illam ſuî æſtimationem, & venerationem attraxerat Populum, ut eum præ reliquis ambirent in animæ & conſcientiæ negotiis arbitrum. Quam enim in animo ſuo conceperat Divinæ Majeſtatis reverentiam, modis efficaciſsimis imprimebat illis, quibuſcum agebat. In quo affectu, ut in horas proficeret, inſtantiſsimè implorabat ſuffragia *S. FRANCISCI XAVERII*, faſſus confidenter, nihil ab hoc ſancto ſe unquam petiiſſe, quod decemdiali ejus honori dicatâ devotione non impetraverit.

Jam verò, ut in ſuî etiam odio, & vin-

vincendi ſtudio Magiſterium attingeret, viam inivit duplicem; alteram per confuſionem ſuî; alteram per macerationem corporis. De utroque, qui ſpiritum ejus regebant, & experimenta profectûs ſumebant, id unum teſtantur, continuam quæſiviſſe ſui ipſius & deprimendi, & divexandi occaſionem. Et cùm vitam ageret prorſus irreprehenſibilem, ſtudiosè tamen in nævos ſuos inquirebat; síque vel ſimilitudinem culpæ deprehendiſſet ad ſuî vilipenſionem (& irriſionem etiam ſi poſſet) evulgabat, ut quem animo conceperat propriæ vilitatis horrorem, opere conteſtaretur. Sic dum crederet verbo minùs conſideratè à ſe prolato Contubernalem offendi potuiſſe, ut primùm in ambulacro domûs occurentem habuit, ad pedes illius abjectus, & piô oſculô veneratus, demiſsiſsimè rogabat, ſibi clementer culpam ignoſceret, quam alter ignorabat penitus. Per menſem integrum, jam Sacerdos, Coco adjunctus, omnia

Lixa-

Lixarum obſequia impigre præſtitit; nam & vaſa immunda mundabat, & pavimentum verrebat, & rejectamenta ſuis manibus collecta efferebat.


Corpus autem divexabat inclementiſsimè verberationibus etiam publicis ad horrorem ſpectantium, longè tamen immitiùs privatim, flagris, virgis, Cingulis ferreis, & cilicinis. Per menſes propè duos in ſiniſtro genu dolorem peracutum paſſus ex tumore; à conſveta inter orandum genuflexione non remiſit. Faſſus ſubinde amico, à cura corporis multùm ſemper ſe abhorruiſſe, & ex hac cauſa nunquam extra tempora Religioſæ refectionis quantumvis ſiti urgeretur, admiſiſſe hauſtum, etiam aquæ frigidæ. In hunc modum animam hanc pretioſam DEI altiſsima ſapientia per continuas de ſe ipſo victorias præparabat in illam gratiam, ut tandem *Teſtis* fieret *Sangvinis* pro ejus gloria, & ſanctæ Fidei Confeſſione profuſi. Superiores enim, qui vias Domini attendebant, quas nemo intel-

intelligit, nisì qui currit, favebant illi liberaliter in ſui ipſius odio, ſive obtineret, quod peteret, ſive etiam pro audacia indiſcreti fervoris referret reprehenſionem, & ſubinde cum geminata victoria. Ut, cùm exorabat copiam ſibi fieri naturalis jejunii per diem ſolarem, quod obtinebat, ſic tamen, ut nihilominus commune cum reliquis triclinium accederet, atque ità ſe gereret, ut rediret impaſtus, à nemine tamen aſsidentium notaretur, cibo abſtinuiſſe. Dum in hoc ſancto odio tam bene meretur, placuit tandem Infinitæ Bonitati coronare merita, manifeſtando illi ſecretum Conſilium, quo ipſum elegerat ad annunciandum Evangelium ſuum Gentibus.

Decurrebat *Venerab: P. Auguſtinus* S. P. N. IGNATII, quæ vocamus *Euchariſtica*, *Exercitia* in integrum menſem protracta. Ultimus dies erat S. FRANCISCO XAVERIO ſacer. Toto illo ſacri receſsûs tempore intentus, in quam partem vocaret Spiritus, adver-

advertit ſingulari DEI erga electos providentiâ accidiſſe, ut eodem tempore legerentur encyclicæ Adm. R. P.N. piæ memoriæ Joañis Pauli Oliva, quibus invitabantur Miſsionarii pro Mexico, Philippinis, & Marianis Inſulis. Neque jam dubitans DEI hanc vocem eſſe, multiplicare vigilias, corporis & animi ſui immolationes, ſi ullo aliàs tempore, frequentiſsimas offerre. Petebantur autem Sacerdotes, & ex ſolis ditionibus Hæreditariis Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ. Jámque in proximo erat, ut delectus fierent. Tunc ille moræ jam, & ſuî impatiens, ad pedes illius, quem in ſpiritu habebat Directorem, velut âqua effuſus, per Divini Nominis honorem, labores patientis Domini, ſanctorum merita, tot animarum ſalutem, obſecrare, & obteſtari: ſibi conſilio, & auxilio adeſſe vellet ut in hanc ſortem, in quam à puero agebatur, admitti poſſet, cùm jam nihil obſtaret, nisì fortè, utì ipſe ajebat, propria vilitas; ſed in quam ineffabilis

effabilis bonitas & infinita gratia conferre poſſet, quæ deſunt omnia; cùm ab Orbe condito maxima quæque opera per inſtrumenta viliſsima egiſſet maximus in minimis DEUS.



CAPUT VI.

Adlectus Miſsionariis Indicis, abit ex Bohemia in Hiſpaniam.

NOn poterant Superioribus non probari hæc animi ſenſa, neque opus erat experimento ampliùs. Ut tamen ſancto fervori novum accreſceret pretium, placuit DEO deſideria hæc ſancta ſuſpendere tantisper, per eventus contrarios. Nam cùm ad delectum Miſsionariorum pro Indiis ventum fuit, unicus extra cenſum illum manſit *Ven:P.Auguſtinus.* Et dum illi expediuntur ad miſsiones Tranſmarinas, illi velut ad ſarcinas relicto pro Miſsione aſsignatur aula apud Toparcham Teſchnenſem. Tulit hunc ſuî neglectum,

ctum, quo reliqua, vultu hilari, & immutato. Et jam ibat, quo Superiorum nutu agebatur, sed in suo proposito, nunquam vacillans. Iter erat Telcziô Pragam, quo Missionarii Indici curru sequebantur. *P. Augustinus* in Spiritu Eliæ pedes præcucurrit; & omnino citiùs illis Moderatori Provinciæ se stitit, nullâ tamen adhuc spe eis se in comitem adjungendi, usque dum conscripti Patres adessent jam ad unum omnes, inter quos vir erat, qui ætatem Sacerdotii propè egerat in valle S. JOACHIMI ad fines Bohemiæ, veteranus ac magni jam meriti Missionarius, cujus tamen vultum ærumnæ durissimæ missionis ità extenuaverant, ut Præpositus Provinciæ (cui incumbebat submittere in tam longinquas oras delectum non solùm à virtute, sed æquè à robore corporis probatum) primo ejus aspectu conterritus, de subrogando magìs idoneo susciperet consilium. Sors autem regebatur à DEO, & tandem cecidit super *Ven: P. Augu-*

P. Augustinum, qui velut jam manu Cœlum apprehendisset, tanto exultavit gaudio, ut in referendis DEO, & Superioribus gratiis modum non inveniret.

Ut primùm fama vulgavit primitias Bohemæ Societatis animarum quærendarum causâ, abire in mundum alterum, non pauci de prima Nobilitate concurrerunt tum ad officia congratulationis, tum ut hoc ultimum oculis suis solatium carperent, ex aspectu Virorum, quos postera dies ex Orbe patrio in oppositum translatura erat.

Sacerdotes erant sex, Coadjutor temporalis unus. P. Mathias Cuculinus, qui cursum Philosophicum docendo absolverat, P. Joannes Tilpe, magni jam nominis in missionibus Silesiæ, P. Paulus Klein singularium talentorum, *Ven: P. Augustinus Strobach*; hi quatuor dividendi erant per Insulas Philippinas, & Marianas; P. Josephus Neüman, quem Mexicum, P. Wen-

ceslaus

ceslaus Chriſtman, quem Paraqvaria præripuerat. Hos deinde inſecutus eſt Simon Boruhradsky, & ipſe ſpectatæ Virtutis Religioſus. Quibus Excellentiſsimus Regni Burggravius & primus pro Rege Locumtenens Bernardus Comes à Martinitz pro ſuo in propagationem fidei zelo, ut ſe boni meriti participem faceret, non pauca, tum itineri tanto, tum in illicium convertendorum Barbarorum uſui futura liberaliter offerebat. *Ven: P. Auguſtino* alio viatico opus non erat, quàm quod ardor indeficiens patiendi pro DEO adverſa quælibet ſuggerebat. Sinè quo viatico neque perGermaniam inveniſſet tranſitum. Sic enim de ſe ipſo ſcribebat Tridento 28. Aprilis, Anno 1678.

Carò me conſtitit iter iſtud, veſperì namque membris omnibus confractus, totóque corpore eum in modum debilitatus fui, velut ſi in equuleo attractus, & tortus fuiſſem, aut inſigniter fuſtigatus, vìxque mihi poſsibile videbatur die inſequente iter proſequi;

ſed major fuit DEI miſeratio, apud quem nihil impoſsibile. Nam ſub auroram reſtitutum me ſenſi, non quidem in integrum, ad illas tamen vires, ut non obſtante dolore, iter proſequi licuerit. Videtur optimus DEUS paulatim equuleis ſuſtinendis me aptare velle. Delatus Mediolanum diem ibi ſubſtitit, *& quid exiguo hoc tempore Mediolani Auguſtinus? Sacroſanctum illi* (ſic enim 7. Maij ſcribebat) *relictis curioſitatibus aliis, quàm primùm Sacram Divi Ambroſii ædem adire. Quod autem in ſummo mihi deſiderio fuit, ut viderem, hortus ille erat, in quo S. Auguſtinus vocem de Cælo lapſam audire meruit: Tolle, lege.* Eſt in eo loco etiamnum Sacellum Converſionis S. Auguſtini, & juxtà alterum, in quo idem Sanctus cum Deodato filio, & Alipio familiari ſuo, Sacro baptiſmi fonte ablutus eſt, & Hymnus Ambroſio - Auguſtinianus decantatus. *Maximæ id mihi conſolationi fuit, quòd ad eandem mihi aram litare conceſſum fuerit, ſperóque, quòd ubi Divus Auguſtinus Dominum confiteri exorſus eſt, &*

& mihi , Nomine hoc licèt indignissimo, flammulæ aliquot ad confitendum Nomen Domini coram Gentibus Augustinianæ accesserint. Hæ erant pretiosæ occupationes, quibus fallebat itineris incommoda, quæ quanta tulerit, hìc non refero, cùm communia fuerint sociis per totum Mediterranei tractum Genuâ Gades usque, quò in navi Veneta solvit, gravissimè jactatus ex nausea stomachi, & æstu maris, quo tamen tempore, adeò exactè observabat ordinem disciplinæ Religiosæ, & exercitiorum spiritualium, non secùs, ac si in ordinatissimo degeret Collegio. Prout de illo testatum fecerunt itineris Socii.



CAPUT VII.

Ingressus in portum Gaditanum.

FErebatur aurâ prorsus propitiâ, & afflante à puppi, cum lectissimis Sociis, jámque oculis tenebat portum Gadi-

Gaditanum, cùm ſimul vidit ſpes ſuas ex oculis abripi, caſu ſanè acerbo. Sed plura hujus generis experimenta dabimus, quibus Summæ Bonitati placuit *Virum deſideriorum* per eventus votis contrarios, velut errores quoſdam, viâ tamen certiſsimâ deducere in portum voluntatis ſuæ. Caſum hunc referam verbis ipſis quibus ad nos dedit, in Bohemiam ſcribens 20. Julij.

Fuit hic dies ex omnibus, quos hactenus in mari habuimus, feliciſsimus, ſi ventum ſpectes, confectis in eo ampliùs 70. leucis Italicis; infeliciſsimus autem, ſi illius eventum. Ad ipſum namque ſolis occaſum, imò in ipſo ſole occiduo tranſire vidimus naves 50. aliquot, pulchro cæteroquin, ſed nobis lamentabili ſpectaculo, non vanè augurantibus, ipſiſsimas has eſſe naves, ſive Claſſem Hiſpanicam, Mexicum petentem, quæ nos transportare debuit.

Quis ſatìs explicet, qui & quàm varii extiterint in omnibus ac ſingulis animorum motus: dum oculis noſtris intueri cogebamur Socios ad idem miniſterium nobiſcum deputatos

tatos, remis velisque ad illud contendere, nobis quaſi ad ſarcinas damnatis. Quid juvabat aſpectus navium illuc tendentium, quò vota noſtra prævolârunt, ſi non concedebatur quoque illarum uſus? nunquid dimitti hæ unà cum adjunctis noſtris Coapoſtolis & Sociis poterant ſinè dolore; quas ex amore poſsidere, quibúsque cum amore perfrui exoptabamus unicè? Jam verò quæ ipſam quietem tenuerint mentis imagines, & ſomnia, cogitare facilius eſt quàm ſcribere. Sic ille.

Cùm igitur jam ſpes nulla eſſet transmittendi oceanum ante novæ Claſsis inſtaurationem, manendum fuit in Hiſpania ultra annum. *Gadibus* igitur translati *Hiſpalim*, vulgò *Seviliam*, animum applicant ad illa ſtudia, quæ excolendis Barbaris maximopere profutura intellexerunt, ſinguli ferè pro genio. Alii enim Aſtronomiæ, alii Medicinæ, Mechanicis alii artibus, ut omnibus omnia fierent, operam addixêre. De ſe autem ſcribens ſubjungebat: *Et quid Auguſtinus? totus eſt in*

 ſoli-

ſoliloquiis. Hæc enim præcipua ejus erat occupatio; quàmvis nec in aliis ſibi, ſuísque intentionibus deeſſet; idiomati inprimis Hiſpanico ediſcendo pene totum ſe tradidit, Theologiæ præterea illi, quæ praxim regendarum Conſcientiarum præſcribit, tum hiſtoriæ Gentium, ad quas ibat: in quo imitatus Sanctum Apoſtolum *XAVERIUM* ſcribebat in Provinciam frequentiſsimè, quæ de Indiis illis ex relationibus aliorum acceperat, ſic, ut Epiſtolæ illius ad familiares juſtum volumen efficiant: id quod eo conſilio faciebat, ut in fratribus ſuis excitaret affectum, provocaret animos ad eaſdem Miſsiones. Et verò meritis illius debemus, quòd non paucos poſt ſe ſubſequentibus annis pertraxerit in *novam Hiſpaniam, Regnum Chilenſe, & Maragnonem*, & hoc ipſo anno, quo ſcribimus, novas ſuppetias pro ipſis Inſulis Marianis. Singulariter autem manum ſuam addixerat Procuratori Indiarum in conſcribendis Inſtrumentis publicis rerum primi momenti.

Caput VIII.

Ultima Profeßio, & animi præparatio ad tranſitum in Indias.

Cùm jam adeſſet præfinitum tempus pro Profeſsione ultima 4. Votorum, per errorem neglectus fuit *Ven: P. Auguſtinus.* Noluit tamen ſvaviſsima DEI Providentia hunc ſervi ſui neglectum tranſire ſinè augmento majoris etiam æſtimationis, quam illi conciliavit per teſtimonium publicum optimæ memoriæ Generalis Noſter Pater Joannes Paulus Oliva, qui monitus de errore, literis graviſsimis in Hiſpaniam datis mandavit, ut, quod neglectum erat, compenſaretur in proximo ab acceptis literis die feſto, aut Dominico, quo, *ſinè exemplo ad poſteros, propter Patris Auguſtini virtutem, ſibi* utì fatebatur, *admodum perſpectam, Vota Profeſſorum emittere poſſet. Hanc in ſubjecta materia primam abs ſe diſpenſationem concedi, itáque mereri virtutem & ta-*

lenta Patris Augustini. Et erant hæc merita jam omnibus nota, & in tanto apud Hiſpanos foris æquè, ac domi pretio, ut ob eximiam Viri ſanctimoniam paſsim illum dignarentur compellatione *Viri Sancti;* & Generalis Indiarum Procurator, Tirones, qui ex Hiſpania in Philippinas comitaturi erant, *Ven: Patri Augustino* inſtruendos, formandóſque tradiderit.

Ipſe verò ex hac Profeſsionis ſuæ dilatione novum invenit *Mirabilis* (prout ipſe in literis ſuis meminit) *Providentiæ* & diſpoſitionis erga ſe Divinæ argumentum. Factum enim fuit, ut vota ultima offerret, (illud inprimis, quo ſe offerebat ad Miſsiones arduas ſinè vitæ ſubſidiis adeundas) ipſo feſto S. Mathiæ Apoſtoli, quo primam novellus Sacerdos (Olomucii in Sacerdotem conſecratus à Reverendiſsimo & Illuſtriſsimo Domino, Domino JOANNE JOSEPHO S. R. I. Comite BREÜNER, Celſiſsimi Principis CAROLI, Epiſcopi Olomucenſis Suffra-

Suffraganeo, & Vicario in Spiritualibus, Anno 1674. 24. Febr.) DEO hostiam obtulerat, *ut me ipsum etiam* (sunt verba ipsiusmet) *hostiam in holocaustum adjungerem Altissimo. Quod quidem utrumque cùm incruentum solùm sacrificium sit, ut suo etiam tempore cruentum succedat alicubi in Indiis, id unum adhuc superest;* & alludens ad nomen *Augustini*, in quo litera *U* ter exprimitur, subjecit: sic me *DEUS unus & Trinus amet*, ut *Trinum hoc sacrificium* sit perfectum, quod *AVgVstinVs* in *Trino* suo *& Uno* videtur velle innuere. Neq; lusus in literis, fefellit in factis; quandoquidem cum Mathia subrogatus Josepho, Viro illi emerito, pro quo ad Missiones Apostolicas in provincia adlectus fuit, primus etiam ex Sociis Bohemis in Marianis Insulis cruenta DEO hostia cecidit.

Ab eo tempore, quo votis ultimis DEO fuit adstrictus, nova illi accrevit religio, ut nè quidem oculum accommodaret spectaculo & ludis, ad quos sub-

ſubinde invitabatur; de quibus in Bohemiam ad Socios ſcribens, nec quidem mentionem facere ſuſtinuit: *aliis*, ajebat, *hæc committo. Mihi enim tunc temporis non ludicra, ſed maximi momenti, quia ſalutis, perfectionísque propriæ, ac æternitatis incumbebant negotia, agendúmque mihi fuit, ac decertandum cum beſtiis ferocioribus, indomitis nempe paſsionibus meis, quas ô ſi tandem ſemel debellâſſem, ac penitus edomuiſſem!* Neque ſolùm profanas vitabat mentis diſtractiones, ſed neque ſacris, quæ ſolitudini minùs faverent, ſe credebat; ſic rationem dans tranſactæ Quadrageſimæ, *tempus*, ajebat, *hoc egi in meris ſoliloquiis. Conſolabar me Chriſti per triginta annos ſilentio, quo tamen non minùs meruit, quàm prædicatione triennali, & quemadmodum dicit alicubi Nierembergius: convenit aliquando nihil agere, ut poſſit quis poſtea operari grandia.* Et verò in prædicatione ætatem & annos Chriſti complevit per omnia illi configuratus, uſque ad calicem paſsionis. Hucuſq;

frag-

fragmenta ſolùm dedi Epiſtolarum, ex quibus magnæ illius animæ incendia, & pretioſas occupationes, velut per rimulam inſpicere licuit; nunc dabo Epiſtolam, ex qua æquum judicium formari poſsit de XAVERIANIS illius æſtibus: quam ille *Seviliâ* ſive *Hiſpali* dedit Europæ valedicens, 4. Junij 1680. ad fratrem ſuum juniorem Tobiam Societatis JESU Religioſum, quem ſicut ſuo exemplo ad vexillum Chriſti, Societatem JESU, pertraxerat, ità & vehementer optabat, etiam poſt ſe trahere ad prædicandum iiſdem Barbaris Chriſti Evangelium. Erat enim adoleſcens magnæ ſpei, & corpore robuſto, ſed quia cœlo jam maturus, conſummatus fuit in brevi, felici morte vitam meliorem anticipans.



CAPUT

CAPUT IX.

Epistola Ven: Patris Augustini valedictoria Europæ.

CHarissime in Christo Frater. Gratia D.N. JESU Christi & Charitas DEI, & communicatio S. Spiritûs sit cum omnibus nobis, Amen.

Primas de terra, cognationéque nostra exiens Charitati Vestræ scripsi literas, ultimas scribo, dum tempus propè adesse jam video, ut transeam ex hoc mundo. Benedictus DEUS! qui secundùm misericordiam suam magnam, regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem JESU Christi: Sicut enim nobis hæc Resurrectio Phase fuit duobus abhinc annis, id est, transitus è terra & cognatione nostra, ità jam nobis iterum Phase est, id est transitus ex hoc mundo. Benedictus DEUS! quia fecit redemptionem plebis suæ, cujus incolatus multùm prolongatus fuit hactenus in Hispania, expectando semper beatam illam spem, & adventum diei illius, quo dirumpantur tandem aliquando hæc vin-

vincula noſtra, ut ſoluti ac liberi tranſeamus ex hoc mundo ad fortunatam illam patriam, Inſulas intelligo Marianas & Philippinas. Videmus enimverò jam, quod tantopere concupivimus, quod tanto ſperavimus tempore, jam tenemus, & poſſidemus etiamnum, quod tamdiu deſideravimus. Quapropter gaudete unà nobiſcum Fratres Chariſſimi! ſed & unà quæſo obſecrate, ſinè intermiſſione memoriam noſtrî facite, in orationibus veſtris, ſi quo modo tandem aliquando proſperum iter habeamus in voluntate DEI veniendi ad deſignatum nobis deſideratiſſimum Mexicanum & Philippinenſem portum & terminum.

Ego verò quoniam ejuſmodi roboris ac virtutis expers, in ea loca proficiſcor, ubi vel maximè cœleſti indigeam ope; nam licèt omnem Eccleſiam, quæ in toto eſt orbe terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus, eos tamen præcipuè inter cæteros decet meritis virtutum excellere, qui in Apoſtolicæ petræ arce fundati, & inter iſtos quàm plurimùm, qui inter infideles populos & gentes Barbaras: Te ego (liceat uti verbis

ipſius-

ipsiusmet Magni Indiarum Apostoli, meiq; antesignani D. FRANCISCI XAVERII) Te ego per DEUM, ejúsque cultum oro atq; obtestor, ut in tuis precibus & obsecrationibus meî nominatim ipse recorderis, méque insuper Patrum, ac Fratrum Nostrorum precibus muniendum sedulò cures; sic enim mihi persvadeo, tuâ ac Societatis deprecatione, multis magnísque periculis me Divinitus eripiendum, adfuturúmque indubiè tam piis Charitatis Vestræ omniúmque Nostrorum votis DEUM, sangvinéque jam olim suo rigatum Marianum Philippinúmq; agrum, in fœcundam aliquando horreo suo inferendam messem excitaturum, neque passurum, ut tam calentia Nostrorum vota, & desideria irrito conatu elabantur.

Hac spe freti pergemus nos alacriter, nullis omnino parcendo laboribus, sudori nulli, non sangvini, non vitæ, id unicè semper mente versando ac animo, labores omnes, sudorem vitam & sangvinem, merum esse Marianorum Christianorum & Philippinensium semen, quod centupli brevì fœneratione in fœcundas excitabit spicas

Magnus

Magnus ille agrorum ſuorum rigator, & Cultor Chriſtus. Item, fortiter agendo ſolummodo res creſcere, & à ſola generosa manu triumphos ſperari poſſe, cœlo inferendos. Pergemus inquam, alacriter, eóque progrediemur alacriùs, Majorúmque veſtigiis inſiſtemus fortiùs, bene interim de Divina in infideles & gentes barbaras munificentia, atque explicata ſperantes dextera, quantò ampliùs nos, ac Miſſionem noſtram ſuis apud DEUM precibus ac Sacrificiis commendatam habuerit Societas, quam demiſſis in terram genibus, ad omnium pedes humillimè proſtratus, iterum iterúmque ſuppliciter cupio commendatam.

Chariſſime Frater, hæc ſunt ultima mea in hoc mundo verba. Faxit DEUS, ſi eſt ad majorem nominis ſui gloriam, majus Religionis Catholicæ incrementum, majorem Societatis noſtræ famam & honorem, majus etiam tum proprium, tum proximorum bonum ac emolumentum, ut in altero (in Indiis videlicet alicubi) orbe, longè majori cum voluptate intermiſſos hucusq; ſuaviſſimæ illius conſvetudinis exigam fructus.

Id


Id enim ſperare me facit continuum Charitatis Veſtræ ſilentium, nullis unquam interpellationibus meis ſolutum; indignum fortaſsè ratus, verbis Auguſtino reſpondere ac literis, ac non reipsâ potiùs, imitatione ac opere. Quod ſi ità eſt, fratres mei gaudete! idem ſapite! imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti! qui cooperatus eſt mihi in Apòſtolatum, cooperabitur & ipſis inter Gentes. Videat itaque unusquisque, quæ ſit voluntas DEI bona, beneplacens, & perfecta, in quo vocatus eſt, permaneat apud DEUM, & ſatagat, ut per bona opera certam vocationem & electionem ſuam faciat. Quod ſi verò nunquam poſthac nos, inter nos, nec in altero quidem mundo reviſuri ſumus, certò in cœlo aliquando (ubi ſpero ſingulari DEI beneficio ac munere priùs in Societatem ſuam ſimul vocati, dein etiam ad Societatem Civium Supernorum ſimul recepti, DEO perenni bonorum omnium fonte perfruemur in omnem æternitatem) nos reviſemus. Ad extremum adſaluto quàm humillimè Patres noſtros, fratres, notósque omnes, omnium in Chriſto ſervus,

ac

ac uſque ad mortem, utinam & mortem Crucis, memor

Indigniſsimus Marianarum Miſsionarius

CAROLUS XAVIER.
Seu
AUGUSTINUS IGNATIUS ALOYSIUS STROBACH S. J. m̃p.



CAPUT X.

Periculum graviſſimum in egreſſu ex portu Gaditano.

QUicunque caſus ex præmemoratis *Venerab: Patrem Auguſtinum* exercuerunt, luſus fuerunt, comparatione ad ictum ultimum, quo etiam robur conſtantiſsimi pectoris cadere potuit, dum nimirum jam altera vice in eodem portu ſpes ſuas videret profundo inexhauſto abſorberi, legerétq; in columnis illis Herculeis ſcriptum, *Non plus ultrà.* Sed luſus fuit & iſte al-

tiſsimæ providentiæ, quæ dum ducit ad inferos, etiam reducit. Res ità accidit.

Aderat tandem dies novæ in Mexicum claſsi expediendæ decretorius; in unam navim, quæ *Nazarenus* vocabatur, collecti ſimul Miſsionarii, datóque ſigno ad levandas anchoras è ſinu Ga ditano velis explicatis naves ſenſim em ovebantur, quando navis *Nazarenus*, alteri onerariæ, à qua periculum metuebat, locum datura, juſto ampliùs ad dexteram declinans in *adamantem* (ſcopulus eſt prægrandis & amplus, ſub doloſo gurgite latens, in medio ſinûs Gaditani) incurrit; mox diris convulſionibus, ex maris jactatione, ſcopuli verò, cui infixa hærebat navis, pertinaci renitentia, fracto temone, gubernaculum in aquas ruens, & ſentinæ alveus magno hiatu aquas excipiens, præſens omnibus annuntiabat naufragium. Ad quem caſum *Ven: P. Auguſtinus* ſtetit vultu non mutato, fronte ſerena, toto tamen animo

in

in preces collectus. Quid autem in animo ſuo pro eo articulo geſſerit, dicam compendio, & ferme verbis ipſius; ſic enim ſcriptum reliquit.

Ante omnia ſibi in memoriam recurriſſe, quam Telczii ab Inſtructore ſuo acceperat ultimæ doctrinæ locò teſſeram: *Juſtus meus ex fide vivit.* Hac voce in fiduciam erectus, in ſinum pientiſsimæ Matris Virginis curam omnem deponit; certus etiam de præſidio S. FRANCISCI XAVERII: erat enim feria ſexta, honori ejus ſacra; & quia navis, quæ periclitabatur, pretioſum *Nazareni* nomen ferebat, JESUM toto affectu ingeminans, in eam obduruit animi fortitudinem, ut videretur inſultare periculo, quaſi diceret: *fugite partes adverſæ. Vicit Leo de tribu Juda.* Stetiſſe extra terrorem teſtantur ejuſdem periculi Socii, teſtes de viſu; & mihi pro maximo argumento eſt, quòd in fide nihil hæſitaverit. Atque ità intrà vitæ periculum ſalus omnium ſtetit, quos ſubſidiariæ ſca-

 phæ,

phæ, dum *Navis Nazarena* hæret in ſcopulo, exceptos, vita comite in portum revexerunt. Ubi nova illum procella excepit. Naves enim reliquæ, quia jam plenis velis propitios ventos excipiebat claſsis, curſum proſequebantur. Quid hìc conſilii? Duo jam anni fluebant, quòd luctabatur cum terra & mari, patriam egreſſus, & portu egredi non poterat ad gentem, ad quam DEO lucrandam certus erat ſe à DEO electum. Duriſsimum fateor fuit hoc certamen ſpem inter & metum, ſed in hoc non minùs, quàm in prioribus ſuî potens, ſtetit firmus, hac una cogitatione roboratus, *Juſtus meus ex fide vivit:* nimirum non poſſe DEO deeſſe media, quibus Electos ſuos provehat in portum voluntatis ſuæ.

Et verò movit Divina Bonitas cor Procuratoris Generalis Indiarum, atque ità direxit, ut rebus ſic deſperatis ipſi conſilium non deeſſet. Jubet igitur Miſsionarios conſcenſis ſcaphis

abeun-

abeuntem claſſem remis inſequi. Anteibat ipſe, DEO à puppi aſpirante, & dum jam huic jam alteri ex Miſsionariis, diſcurrendo per naves ſingulas locellum exorat, & impetrat, quæ primæ ipſi curæ erant, ut *Ven: Patrem Auguſtinum* de ſe adeò bene meritum, & in quo ſpes tantas converſionis Paganorum repoſitas ſciebat, inter primos accommodaret, ex animi perturbatione ad ultimas ſe rejeciſſe, ùt vidit, vehementiùs indoluit. Et jam quid ageret? & quidquid egiſſet, non potuit contra conſilium DEI. Cujus voluntas erat, palàm facere, ſolius providentiæ, & dilectionis ſuæ fuiſſe curam de *Ven: P. Auguſtino*. Cùm enim P. Procurator apud amicos facilem exorâſſet admiſsionem pro aliis Miſsionariis, nullum vidit ſupereſſe præter Gubernatorem *Navis S. Joannis & Franciſci Seraphici*, offenſum ſibi ex recenti adhuc vulnere. Erat enim ipſus ille Capitaneus, cum quo Procurator primùm convenerat de tranſvehendis

 Patri-

Patribus, ſed cùm ex cauſa ignota ab hoc contractu reſiliiſſet, adeò acerbè id tulit Gubernator, ut videns appropinquantem in cymbula, obfirmato penitus animo ſtatuerit, Procuratorem cum Patribus rejicere, & quovis etiam oblato pretio neminem ex Miſſionariis in navim admittere. Id quod ipſe poſtmodum retulit. Verùm in manuOmnipotentis corda hominum, quocunque voluerit, flectet. Et ſic accidit.



CAPUT XI.

Admittitur precariò in navim, ſed ſinè omni ad tam diuturnam navigationem præſidio.

POſt iteratas, ſed irritas ſemper preces, & amaro animo à Gubernatore rejectas, repentè tandem altiore inſtinctu immutatus Capitaneus, ad unum ex Patribus recipiendum, paratum ſe exhibuit. Reſtabant adhuc qua-

quatuordecim Miſsionarii, duos in cymbula illa advexerat Procurator, *Ven: Patrem Auguſtinum*, & *P. Joſephum Neüman.* Cui ex his ſortem faveret, hærebat anxius. Erant nimirum in virtute gemelli, & cor unum, & anima una. Utriuſque admiſsionem urgere, erat idem, quod utrumque rejicere. Jubet igitur unum aſcendere, neutrum ex nomine vocando. *P. Joſephus*, quia proximus ſtabat ſcalæ, primus eluctatur, tunc primùm de *Ven: P. Auguſtino* ſollicitus Procurator, hunc ex nomine vocat. Sequitur ille impigre. Ubi ambos Gubernator vidit in navem penetrâſſe, negat rotundè utrumque ſe velle, quòd neque commeatus in tantam navigationem ſuffecturus eſſet, neque locus numerum admitteret; quod ultimum veriſsimum erat. Hinc nova lucta inter fidiſsimos Achates, & ejuſdem propoſiti Viros. Ab invicem avelli morte durius; alterum loco detrudere, nimis Barbarum, cedere ſortem propriam, non videbatur ca-

dere in deliberationẽ. Hanc luctam solvit humilitas utriusque, & per vultum latè diffusus pudor: quo conspecto delinitus Capitaneus, cùm insuper audivisset, quovis navis angulo DEI servos, contentos fore, utpote qui aliud non contenderent, quàm per ærumnas, & mortes, animarum salutem ad DEI unius gloriam promovere; ad hanc tam humilem deprecationem erectus in æstimationem zeli, simul perpendens, quid animi sui magnitudinem deceret, utrumque retinuit. Et jam rigore in humanitatem converso, blandè præmonebat, sibi non imputarent, quòd pro dignitate accommodari non possent.

Hoc periculo jam defunctus, dum secum in animo adeò singularem Divinæ dispensationis ordinem expendit *Ven: Pater, quàm præclarè* (ajebat) *mecum agit altitudo sapientiæ. Ultimus enim cùm sim ex omnibus, ultimus & precariò in delectu Missionariorum ad hanc gratiam admissus, ultimus etiam ad classem recipi debui,*

bui, tanquam omnium peripſema. Strobach enim Hiſpanicè redditum, *Eſtropacho, purgamentum* ſonat. Hunc animi ſui ſenſum dum in Europam perſcribit 10. Decembris 1680. addidit: *ſive probare, ſive coronare hanc oblationem noſtram ad quemvis navis angulum voluerit optimus DEUS, velut condigno præmio, tali locello contentos nos eſſe oportuit per totum navigationis tempus, qui pro quiete non admitteret, niſì culcitram uni ſuffecturam, utrique tamen noſtrûm ampliſſimum fuit theatrum. Situs autem erat magìs incommodus, quia ad limen cameræ, ingredientibus & egredientibus illius incolis diu noctúque pervius, cum hoc boni meriti auctario, quòd quoties quietis tempore acceſſus petebatur ad cameram, alterutri ex nobis ſurgendum fuerit. Inſtratus autem erat pro quiete ſolâ ſtoreâ, quo uſq; ſuppoſita fuit culcitra; credebamus Gubernatoris juſſu, ſed quod ſub finem navigationis primùm cognovimus, fœmina fuit Inda, & ipſa pauper, quæ miſeratione mota, ſuo ſe ſtrato noſtrî causâ privaverat.*

Nunc

Nunc autem memoratu dignißimum eſt, cum quo apparatu Viri hi Apoſtolici navim ingreßi ſint, vel potiùs Europam egreßi, & in alterum orbem transmißi. Sarcinulas omnes, ipſam ſupellectilem lineam, veſtes viatorias, quin ipſum pileum, capitis tegumentum, Breviarium pro horis Canonicis, verbo, omnia in illa perturbatione naufragii poſt ſe reliquerant, in id ſolùm intenti, ut claſſem abeuntem non negligerent, & nudum Chriſtum nudi ſequerentur. Quid ad hæc *Auguſtinus?* Non ſinè gratia verba ipſius audientur: *Quod in navem intuliſſemus præter nos ipſos, fuit omnino nihil. Et vel ex hoc ipſo majore cum jubilo, & gaudentes conſcendimus navim; quia digni habiti, tanquam genuini Apoſtoli, & Diſcipuli Chriſti, ſinè ſacculo, ſinè pera, ire ad prædicandum Gentibus Evangelium. Et mihi quidem præcipuo fuit ſolatio, Magno Indiarum Apoſtolo, Duci noſtro, potuiſſe modo aliquo aßimilari, non tantùm ſinè pera & ſacculo, ſed inſuper ſinè pileo & Breviario ex Europa tran-*

transſire in Indias. Abundantiùs gaudebam, cùm memoriâ repeterem, primos è Societate noſtra in Philippinas Inſulas Miſſionarios, & hujus Miſſionis Fundatores, videlicet Patrem Antonium Sedeno, & Alphonſum Sanchez cum ſimili apparatu in Philippinas ſolviſſe Acapulco, ex ſolis piorum navigantium eleemoſynis vitam ſuſtentantes.



CAPUT XII.

Defertur in portum Veræ Crucis, ac tandem in Mexicum.

SIc expoliati vehebantur in portum *Veræ Crucis.* Movit tamen ſumma Bonitas vectorum pietatem (ducenti & ſexaginta erant in navi illa) qui certatim offerrent ad uſum neceſſaria, *Cavalleri* in primis, tum ipſa plebs nautica; ex quibus tamen illa ſolùm admittebantur, quibus carere, aut ampliùs non poterant, aut non ſinè offenſa, ſi per-

pertinaciùs reſpuerent. Maluiſſet autem *Ven: P. Auguſtinus* & his carere, dummodo copia ipſi facta fuiſſet, explendi famem ſpiritûs ſacrificio quotidiano. Sacerdotes erant plures, ex quibus non nisì ex ordine duo admittebantur ad Liturgiam feſtis & Dominicis diebus. Intercurrebat feſtum S. AUGUSTINI; ô quantis tunc precibus egit, ut vices ſuas illi cederet Sacellanus navis!


Per reliquas naves diſtributi erant Sacerdotes reliqui de Societate; duodecim remanſerant in portu Gaditano. Ventus aſpirabat ſecundiſsimus, qui claſſem ſpatio dierum ſex ſupra ſexaginta, completis integre decem diebus XAVERIANÆ devotionis, in portum detulit *Veræ Crucis*. In quem dum exſcendunt ſinè capitis tegumento, Patri Joſepho Cavallerus, *Ven: Patri Auguſtino* Sacellanus navis pileum precariò obtulit. Dum in illo portu ſe conſpiciunt decem Miſsionarii Sacerdotes (reliqui enim Sacerdotio necdum

dum inaugurati erant) ſingulari congratulatione in mutuos ruunt amplexus. *Auguſtinus* verò de illis ſolicitus, qui in Hiſpania remanſerant, gaudia ſua hoc luctu miſcuit, quem ex ejus Epiſtola exſcribo: *Benedictus DEUS, qui nos tandem ex diuturno illo deſiderii noſtri purgatorio ad optatiſſimam nobis terram promiſſionis, primum in India portũ fecit appellere. Sacerdotes quidem decem: ſiquidem quod aliquando dixit S. Philip. Nerius, decem homines, mundanis extricati curis, ſufficiunt ad convertendũ totum mundum. Sed ſufficiant ad converſionem mundi hujus Americani,* Indias intelligebat occidentales, *alter adhuc ſupereſt Aſiaticus*, in orientalibus Indiis, ac vaſtiſsimo Sinarum & Japoniæ Imperio, ad quod facillimus ex Philippinis eſt tranſitus. *Ah veniant relicti in Hiſpania Socii duodenario Apoſtolorum numero, ex quibus cùm gemini ad has miſſiones pertineant; reliqui decem converſionem urgeant mundi Aſiatici. Ità Fratres Chariſſimi oremus pro Fratribus noſtris abſentibus, ut omnes digni efficiamur pro Miſſionibus Chriſti.* Poſt

Poſt non longam moram in portu S. Crucis,iter reliquum Mexicum uſque, terreſtre excurrebat. Inprimis ſe offerebat planiſsimus campus ad quinque circiter levcas protenſus, uſque ad diverſorium *Martinez* dictum, in quem locum ut pedem intulit *Ven: Pater*, ſenſit repentinam virium dejectionem ex dyſenteria cum vomitu, ac continuis deliquiis. Quem morbum Indigenæ *Miſerere* vocant, quòd ut plurimùm hoc ſequatur canendum, prout pridie factum cum altero ex comitibus. Tres adhuc erant levcæ *Theyolucam*, quod prædium eſt *Angelopolim* pertinens ad *Collegium Sancti Spiritûs. P. Martinus Prado*, qui ad Sanctam Crucem in occurſum venerat ad novos ex Europa Miſsionarios ſalutandos, & cum charitate deducendos, non modicùm contriſtatus ex repentino hoc caſu, ceteris iter proſequentibus, *P. Tilpe* cum *Chariſsimo Simone* ſubſiſtere juſsit, qui curam agerent infirmi, dum ipſe de remediis provideret. Dies erat

XAVE-

XAVERIANA, feria nimirum ſexta, ſacra ſanctisMedicis *Coſmæ & Damiano,* anniverſaria natæ confirmatæque Societatis, & nisì hæc fuiſſent corpus & animum confortantia de cœlo pharmaca, *fieri omnino poterat* (ſcribit ille) *ut & mihi decantâſſent pſalmum Quinquageſimum. Cùm quiete reſpirare cœpi, venerúntque ſub noctem ex Angelopolitano prædio Indi octo, qui me die altero, in feretro pro more Regionis illius, ad ſocios deportarent. Sabbato deferebatur vivum hoc funus, ſuccedentibus ſibi per vices bajulis quatuor; & quis pudor? priùs fatigâſſe Indorum humeros, quàm in meos ſuſcepiſſem.* Patientiâ opus fuit. Hunc illi characterem impreſſerat pes primus, quem in Veram Crucem poſuerat. *Delatus in hunc modum Feſto S. Wenceslai Martyris* (pergit ille) *ad prædium, diem unum lectulo affixus egi, religioſæq; charitatis obſequiis reſpirare cœpi.*



CAPUT

Caput XIII.

Quies minimè otiosa, & sancti in Mexico labores.

PRævolârunt Nuncii *Angelopoli*, qui ferebant, adesse tanto tempore expectatos ex Europa Missionarios. Fit congratulatio, & concursus ad Domum Professorum Societatis in Mexico, dum singuli pro affectu ambiunt prævenire officiis tam chara capita, quos scirent, & oculis suis jam coràm viderent ex remotissimis Germaniæ finibus, ditionibus Augustissimæ Domûs Austriacæ subjectis, tot, tantísque terrâ, ac mari bienniô superatis periculis, tanto delectu, tandem advenisse in salutem Gentium, & Divini Nominis majorem gloriam propagandam. Tempus erat, ut tantis itineribus, per tot casus fatigati, corporibus curandis quietem concederent. Verùm id minimè licuit; ipsa enim mora temporis fecit, ut majus

fierent


ſierent ſpectaculum Urbi frequentiſsimæ; & quò jam familiariùs ſervis DEI utebantur, hoc confidentiùs cum illis conſcientiæ negotia conferrent. Minimum otium fuit *Ven: P. Auguſtino*, qui cùm characterem ſanctimoniæ referret ex vultu, profeſtis æquè ac feſtis diebus detinebatur à pœnitentibus in Eccleſia, evocabatur ad infirmos in Noſocomiis, ad moribundos præcipuè, ad quos accurrebat impigre, ſolabatur ampliſsimè, & ad ultimum agonem, velut Angelus confortans cum gratia ſingulari diſponebat, nemine non, ex iis, quæ pro illo articulo afferebat in medium, ſpiritum quo ipſe & viveret, & operaretur, conjectante: ſic de illo ſcribit ejusdem in Mexico individuus à latere comes. Quo fiebat, ut *Ven: P. Auguſtinum* & amarent, & optarent conſcientiarum ſuarum Directorem, & ipſi domeſtici, & multò ampliùs externi: & hi catervatim accurrebant, conſcientiæ rationes cum illo componentes, affluxu tanto, ut in

plures horas pro ſacro Tribunali attinerent. Ex domeſticis verò non pauci à Superioribus exorabant veniam, ut negotia ſpiritûs, dum per moram illam temporis liceret, cum Viro illo agere poſſent, quem ſolo ſpiritu vivere cognoſcerent. Id quod cum pari fructu ac ſolatio præſtabat. Atque ità impletum fuit, quod Vir ille Nobilis in Bohemia dixerat, *ſolum Ven: P. Auguſtini aſpectum, ipſis etiam Barbaris futurum magnum veræ fidei argumentum.* Sed qui familiariùs eo utebantur, alio attrahebantur magnetiſmo, quòd nimirum non aliâ loqueretur linguâ, quàm cordis, neque abſcondere poſſet ignem, quo intus ardebat, deſiderium illud vehemens, fundendi pro Chriſto ſangvinis. Invitatus ad ſpectaculum, quod in Eccleſia Domûs Profeſſæ parabatur Pro-Regi, ſaltum ſcilicet Euchariſticum, deprecatus fuit, quòd, cùm Vigilia eſſet Immaculatæ Conceptionis DEIPARÆ, detenti in carcere illum pro ſuis confeſsionibus expetiviſſent.

viſſent. *Et quid*, ajebat, *Auguſtino cum ſaltibus, quem non nisì compedes manent, & vincula? Sinite me compeditis, quæ poſſum præſtare obſequia, ut ab illis referre merear pro ſtipendio, quas pedibus & manibus geſtant catenas.*

Majus adhuc in ipſo aliquid obſervavit Mexicum, futurorum ſcilicet præſagam mentem, & arcanorum conſciam. Dum enim animarum lucro intentus, urbem circumit, repentè vultu ad ſocium converſo; *agamus*, ajebat, *Chariſsime, acceleremus greſſum, domus enim*, quam digito deſignabat, *nos expectat.* Nunquam priùs notatus fuerat in domum illam pedem intuliſſe, nunquam priùs habebat cognitam, & à more ejus alienum penitus erat, ad domos ſæcularium, aliâ, quàm procurandæ ſalutis proximorum causâ, ſi invitaretur accedere. At ecce in primo ingreſſu domûs illius in hominem incidunt non viſum hactenus, citatis adeò paſsibus ad æternitatem properantem, ut aliud illi tempus non

ſuperfuerit, quàm quo animum à noxis expiare poſſet; cui cùm hoc ultimum obſequium impendiſſet, in manibus *Ven: Patris* vivere deſiit. Ex quo articulo didicit ſocius, quo lumine illuſtraretur, & ſpiritu regeretur Vir DEO conjunctiſsimus. Saluberrimum verò hoc regendarum in conſcientiæ foro animarum munus, pari felicitate & fructu continuavit in *Acapulco* novæ Hiſpaniæ Auſtrali portu, & ultima navigatione in *Philippinas*, cum ægris in primis, & in ultima lucta laborantibus.



CAPUT XIV.

Navigatio ultima ex Acapulco in Philippinas & Marianas Inſulas.

PRo tranſitu ex hoc ultimo portu ad Inſulas Philippinas & Marianas, deſignata fuit 27. Martij, qua tamen die vela facere non poterant, quia necdum venerat hora ejus. Ità in diario ſuo,

ſuo, in quo beneficia cœleſtia annotabat, ipſe ſcriptum reliquit: præplacuiſſe DEO eligere diem poſteram, quæ fuit 28. Martij. Et fuit dies hoc calculo digna. Erat enim dies anniverſaria, quâ ante biennium in numerum Miſsionariorum pro Inſulis Marianis admiſſus fuit, in quam inſuper anno illo incidit Feſtum Dolorum Compatientis DEIPARÆ Virginis, & (quod in primis gratiis referebat) Feria ſexta, atque adeò XAVERIANÆ devotionis. Hac igitur die cum Sociis per naves diſtributis, portum *Acapulcanum* egreſſus (anguſtum ſanè, & in egreſſu inprimis difficilem, multíſque illuſtribus naufragiis celebrem) in altum rurſus abiit ſub præſidio Matris Doloroſæ, dictâ ab omnibus qui unà vehebantur, antiphonâ *Salve Regina*, ad quod *Salve*, MARIA ex ſuis Inſulis, poſt paucos dies gratiſsimum omnibus reddidit *Ave*. Cùm enim ſinus ille maris ob circuitum, & perplexos mæandros, vix unquam ſuperari poſsit

breviori quàm mensis integri labore, aut si faveat aura propitia, viginti quinque dierum spatio; intrà duas hebdomadas cursum hujus itineris absolverunt, & 11. Aprilis, quæ iterum erat feria XAVERIANA, *Brissas* portum ultimum attigerunt. Non hìc me detineo, ut referam quæ hoc itinere egerit, properans ad gaudium illud, quod omnibus attulit primus Insularum Marianarum aspectus.

Brissas transgressi ab Aprili usque in Junium altum tenuerunt mare. 13. erat Mensis Junij, *D. Antonio*, quem etiam in foro solenni ritu celebrat *Manila*, sacra, sed magìs D. XAVERIO, cùm esset feria sexta. Duabus ante ortum Solis horis, sic ipse retulit; *visæ nobis sunt Marianæ Insulæ; qui primus vidit, nauta erat Lusitanus, cui Sanctus Antonius tanquam conterraneo suo oculos aperuisse videtur, ut primus nobis desideriorum nostrorum patriam ostenderet. Hoc nuncio in proram evocati omnes plausum dedimus cum dulci jubilo.* Mox ex Prætoria, ære cam-

campano ſignum datum pro reddendis DEO & DEIPARÆ gratiis. Sacra ſolennia ad Muſicam, quæ ad pſalterium ſeu harpham fiebat, decantata quinque, lecta quatuor, inter feſtivos ignes militum. Obſervavit autem ſingulariter *Ven: P. Auguſtinus* diem fuiſſe duodecimum XAVERIANÆ devotionis, à quo ex portu Acapulcano ſolverant: ſed quia interceſſerat Paraſceve, & duodecimus ceſsit in gratiarum actionem, decadem integram XAVERIANAM fuiſſe durantis beneficii.

Sic ingreſſus eſt deſignatam à DEO provinciam. Quamvìs non deeſſent qui magìs optarent ad Philippinas Eum deportari, velut ad agrum jam magìs ſubactum pro ſemente Domini. Magnis tamen precibus obtinuit, ut relinqueretur in loco, quem Patris Noſtri Generalis mandato ſibi determinatum noverat. Atque ità in Marianis Inſulis ſubſtitit cum *P. Joanne Tilpe*, accedente deinceps ex illis, qui in Hiſpania ex naufragio remanſerant, *P. Mathia*

Cuculino, tres primi ex Bohemia in his Insulis Apostoli: Quorum prima cura fuit linguis loqui Gentium illarum. Quanto labore, & quàm felici successu, dabit Epistola Vice-Provincialis *Ven: Patris Emmanuelis de Solorzano*, quam dedit 20. Maij Anno 1682. in Bohemiam, & quam integram refero; inscripta fuit ad Præpositum huic Provinciæ.

Reverende in Christo Pater,

PAX CHRISTI.

OBligationis meæ est, refundere, quas possum, Reverentiæ Vestræ gratias pro duobus Sacerdotibus, P. Augustino Strobach, & P. Joanne Tilpe, qui è sancta sua Provincia huc ad nos, appulerunt, & adventu suo Missionem hanc Marianam magnopere exhilarârunt. Præterquam enim, quòd linguâ Castellanâ tam bene instructi advenerint, ut Præsidio huic Catholico utilem mox operam locare potuerint: etiam novæ huic Christianitati usui quàm primùm, & utili-

tati

tati futuri, in linguam Marianam ità statim incubuerunt, ut paucorum mensium intervallo tantam peritiam ejus indepti sint, quanta catechizandis hisce Insulanis, & adjuvandis Veteranis Vineæ hujus Operariis suis in laboribus sufficiat. Felices sanè suppetias, & Missioni huic illo etiam titulo perquam proficuas, quòd priùs paucorum Operariorum numero circumscripta, vix administrandis Insulæ unius Residentiis suffecerit: nunc verò hoc novo è subsidio vires sumserit, non tantùm istas ritè administrandi, sed ad alias etiam Insulas feliciter sese extendendi, & alias atque alias Residentias fundandi. Quibus omnibus magnum in nobis excitârunt desiderium, plures ex sancta sua Provincia evocandi, & expetendi, similes iis Operarios. Et utinam venirent quàm plurimi ad has latè sparsas & ad messem albissimas Insulas, ubi experiendorum laborum Apostolicorum occasio plurima est, & frequentissima. Speramus proinde fore, ut nacta opportunitatem Reverentia Vestra, novis nos suppetiis recreet, precamúrque communem Dominum, diu nobis, sanctæque suæ

Pro-

Provinciæ ſalvam, incoluméemque velit Reverentiam Veſtram. Sanctis Ejuſdem, ac omnium RR. Patrum Sacrificiis, nec non devotis Chariſſimorum Fratrum orationibus Miſſionem hanc Marianam, & felices ejuſdem progreſſus, enixè commendo. In Inſula S. Joannis, & principe ejuſdem Reſidentia Agadnenſi, 20. Maij, Anno 1682.

Reverentiæ Veſtræ

Servus in Chriſto

EMMANUEL DE SOLORZANO.

CAPUT XV.

Brevis relatio de ſtatu Inſularum Marianarum, in quo illas invenit Ven: P. Auguſtinus.

MEnſis erat Junius Anni 1681. dies 13. quo primo harum Inſularum aſpectu recreatus fuit; quintus verò ſupra decimum, quo excenſionem in illas ſecit, anniverſarius nimirum quo *Ven: P. Ludovicus de S. Victore,* anno ſalutis 1668. primus harum Inſularum Apoſtolus poſſeſsionem earundem adiit, & Evangelii vexillum in illam Barbariem extulit. Quas ab eo tempore Miſsionarii Evangelici primis fidei rudimentis excoluerunt, 13. numerant; Sunt autem plures contiguæ, quæ adhuc culturam expectant.

Harum omnium præcipua, Barbaris *Igvan,* Hiſpanis *S. Juan,* ſive *S. Joannis* Inſula dicitur; hæc quemadmodum ceteris major, ità & populoſior, etiamnum ſex hominum millia numerat, cùm

cùm in aliis ſingulis pauciores longè ſint: plurimis, tum contagione, tum inteſtinis bellis, tum etiam frequentibus ſoli & Cœli mutationibus, ereptis. Attingit hæc Inſula altitudinis gradum 13. 25. minutum.

Ab hac 7. levcis diſtat Inſula *Rota* ſive *Sarpana*, nunc Hiſpanis, ob nominis affinitatem, *S. Annæ* dicta, in 14. gradu altitudinis. *Tertia Agiguan*, nunc ab *Angelo Cuſtode* nomen ſortita; 14. gradum altitudinis, 30. minutis excedit. *Quarta Tenian*, quod interpretari licet *Bonam Ciſtam*, recedit ab Inſula *S. Annæ* levcis 14. ſub 14. gradu min. 10. Ab hac tribus levcis jacet *Quinta Saypan* dicta, nunc verò *S. Joſephi*, in 15. gradu, min. 20. Ex hac 30. levcas numerant in *Anatahan*, quæ eſt *ſexta*, jam in 17. gradu min. 20. poſita, & nomen accepit à *S. Joachimo*. Sub eodem gradu, min. autem 35. continetur *ſeptima*, *Sarigan* vulgo, nunc *S. Carolo* ſacra, diſtat ab *Anatahan* levcis octo. *Octava Guguan* nuncupata indigenis, Hiſpanis *S. Phi-*

lippi

lippi Insula, dividitur à *Sarigan* levcis sex, in 17. gradu altitudinis, min. 45. *Nona* olim dicebatur *Alamagan*, hodie de *Conceptione B. Virginis*, levcas numerat 12. ab *Anatahan*, & attingit gradum 18. min. 10. Post hanc sedecim levcis se offert *decima*, *Pagon* à suis, à nostris S. IGNATII dicta in 19. gradu. Huic opposita est intervallo 12. levcarum, *Undecima*, nunc quidem S. XAVERII, olim verò *Agrigan* vocitata; superat 19. gradum, 40. minutis. *Duodecima* duplex nomen à Barbaris sortita, *Belean* primùm, deinde & *Songeon* dicta, hodie nomen retinet ab *Assumptione B. Virginis*; distat ab undecima, levcis 12. & à latere habet alias parvulas Insulas ad spatium 5. levcarum, sita in gradu 20. altitudinis, 15. minuto. Decima tertia componitur ex tribus minoribus Insulis quas *Tinas*, sive *Maug* vocant, Hispani Insulam *S. Laurentii*, in 20. gradu, 35. minuto. Hæ sunt Insulæ, quæ jam sub falcem Evangelicam venerunt; nam reliquæ, quæ ad Austrum ex-

excurrunt, necdum habent terminum cognitum, utì ſuo loco dicetur.

Hic ſitus Inſularum Marianarum. Regio verò admodum ſalubris eſt, neque æſtus habet exceſsivos, neque frigora; ſolum etiam à terræ convulſionibus, ſive motibus liberum. Jacet tamen ſub flagello ventorum, & vehementes æquè, ac crebros patitur turbines, Typhones vocant, qui quotannis per ſinum illum maris procellas dant ineluctabiles, *quales* (ſcribit Ven: P. Auguſtinus) *& nos tum anno 1681. tum mox inſequente 82. magnâ tum ſegetum, tum domorum ruinâ experti ſumus. Utrumq; Typhonem ego in Reſidentia Divi JOSEPHI ſuſtinui; & primus quidem ruinam ſolùm minitabatur Templo, & domui, alter verò utrumq; ædificium evertit, me tamen cum domeſticis, qui tunc intrà domum inventi fuimus, ſalvo, & incolumi; in aliam nimirum ſortem ſervabamur.* Aquas habent ſalubres, & ad abundantiam: ſola enim Inſula S. Joannis, quæ ad 40. circiter levcas protenditur, trigin-

triginta & plures fluvios numerat, piſcium bonorum feraces. Inſecta in his Inſulis propè nulla, neque aſpides; aranei ſinè veneno, quibus & veſcuntur incolæ. Maximum tormentum à culicibus. Et cùm à Solis æſtu nihil incommodi accipiant Indigenæ, à Luna tamen graviſsimas patiuntur in corporibus viciſsitudines.

Gleba utcunque fertilis, nam agri modicâ culturâ adjuti fructum reddunt intrà annum, triplicem, & pluribus locis etiam quadruplicem. Sunt autem fructus his Inſulis proprii: *Coco, ſandia, pepones* raræ magnitudinis, *plantani, papayæ, mayr*, ſive triticum (quod in Europa Turcicum vocatur) & oryza, quæ tamen neque in omnibus Inſulis proficit, neque tam bonæ conditionis, utì in Philippinis. Nullum, ante adventum Europæorum in his Inſulis videre fuit terreſtre animal; nunc verò, & equi, & boves, & capræ, & oviculæ copioſo fætu multiplicantur. Victus illorum ùt plurimùm ra-

dices

dices ſunt; oryzâ non nisì ſolennioribus diebus, putà in Exequiis ſuorum, utuntur; piſcibus crudis plebei.

Quàmvis enim Barbari ſint, & nudi penitus ante illatam Chriſti fidem inceſſerint, diſtinguebantur tamen, more ferè Sinenſium in triplices familias; ſummam, mediam, & infimam. Summa æquivalet Optimatibus, quos & *Matoas* vocant, ſive Dominos; Media Civibus; infima plebeis. Hæ familiæ non commiſcentur, nec in matrimoniis, nec in aliis contractibus. Neque cibis veſcentur, quos inferiores contrectaverint, neque aquas haurient ex puteis, quibus utuntur plebei. Ob quam cauſam ſub initium prædicati Evangelii admodum difficile fuit in unam illos Eccleſiam cogere; vehementiùs verò abhorrebant, uno, eodémque ſacro fonte ablui. At nunc faſtu illo depoſito, communem agunt vitam, &, ſi interrogentur, quo pacto induci potuerint ad hanc conſvetudinem, reſpondent id ſe didiciſſe ab

exem-

exemplo Præconum Evangelicorum, quos tot annorum experientiâ obſervaverint omnibus promiſcuè, & æqualiter ſe communicare.

Nulla habuerunt Religionis alicujus exercitia, nulla Idola, atheis ſimiliores, qui nullam veri DEI notitiam admiſerint. Circa defunctos tamen religioſiores erant, ſive id terrore fecerint dæmonum, ſub his larvis ſpectabilium, ſive naturali horrore; nam & de cibo, quem in dies ſumunt, defunctis de familia bonam partem reponebant, & ſepulchra eorundem calcare, piaculo ducebant. Ex qua ratione longo tempore mortuos ſuos in Eccleſiis ſepeliri deprecabantur, nè ſcilicet conculcarentur à populo. Oſsibus tamen mortuorum utuntur pro jaculis, & quovis è corpore duodecim ferè lanceas conficiunt, ex illis inprimis, quos violenta morte ſuſtulerint. Quàm enim humani ſunt in defunctos de familia, tam crudeles in vivos, & hoſtes. Dominatum in familiis ha-

bebant fœminæ; & quamvìs non conviverent promiſcuè, reſcindebant tamen Matrimonia pro libidine: infames inſuper à commixtione cum dæmone incubo.

Unde originem ſuam ducant, adhuc incertum; proximè accedunt & moribus & idiomatis affinitate ad gentem, *Tayala* dictam, Philippinis contiguam. Neque credebant extra ſuos fines aliam terram, aliam gentem inveniri. Sed cùm viderent navigiis Europæis alios homines advenire, illos dicebant à ſuis originem traxiſſe, procreatósque à Rupe in Inſula ſua præeminente, ut quæ priùs homo & ipſa fuerit, temporis verò vetuſtate in petram induruerit, & continuo partu alias, & alias gentes effundat. Plures ex illis naſcuntur monſtroſi cum ſex digitis in pedibus. *Vidi ego ipſe* (ſcribit Ven: P. Auguſtinus) *in Reſidentia ſinè labe Conceptæ Virginis, adoleſcentem, in cujus facie, neque oculi erant, neque nares; ſola oris lineamenta, ceterùm plana*

plana instar tabulæ rasæ. Qui tamen, cùm Christianis accessit, ad Ecclesiam ibat sinè duce, sinè comite, sinè baculo, nullibi in via aut errans, aut offendens. Capite sunt raso, in vertice tamen comam alunt in cuspidem assurgentem.

Priùs rupes, & petras incolebant, nunc quævis familia duo incolit tuguria utcunque nitida, ac munda. In altero rem domesticam conservant; in altero cibum & somnum capiunt. Hæc domus interiùs storeis undique investitur. Magistræ texendarum storearum fœminæ sunt. Quidquid autem supellectilis domesticæ est, totum est ex storeis, cistæ nimirum, orbes, scutellæ, quæ tanto artificio parantur, ut quemvis liquorem, oleum, juscu-lum, continere possint. Balneis utuntur quotidie, quotidie oleo corpora illinunt, ex quo magìs, quàm ab æstu solis nigrescunt. Genio sunt barbaro, & feroci, ad seditiones, cædes, & bella intestina prono. Unde & nomen his Insulis adhæsit *de los Ladrones*. Hinc illæ tem-

peſtates, quibus à primis ſuis natalibus ſancta Fides in his Inſulis uſque ad hæc tempora concuſſa fuit, dum identidem perduelles in priſtinam barbariem relapſi, internecione ultima exterminare conati ſunt ſalutis Miniſtros, & veræ Religionis præcones.

Ad hanc barbariem exſcindendam Reges Catholici ingenti prorſus ærarii Regii profuſione, arma primùm expediverunt, tum ex Societate JESU elegerunt operarios: quorum prima cura fuit, Barbaros ex ſpelæis, & antris protractos ad vitam communem provocare, in cætum unum cogere, cætus ordinare in pagos, ex pagis formare quandam Rempublicam. Quod ut meliori ſucceſſu fieret, Inſulam ex reliquis vaſtiſsimam elegerunt velut in Metropolim, *S. Joannis,* vulgò *S. Juan.* In hac Inſula Prætor ſedem fixit, Caſtrum exſtruxit more Europæo, cum vallis, & propugnaculis ex ſolido lapide; juxta illud Reſidentiam amplam, velut Seminarium Miſsionariorum,

cum

cum Ecclesia, & Collegio Juventutis Marianæ. Quod ipsum dum attentant in aliis Insulis, advertunt labore improbo se confici; cùm nec operarios haberent pro tantis terrarum spatiis, neque milites pro præsidiis, neque navigia pro trajectu maris. Igitur ex communi consilio Prætor cum Vice-Provinciali (est enim solùm Vice-Provincia, & quasi colonia Philippinarum) decernit, Insularum jam cognitarum populos suavi modo, ad quatuor, aut quinque præcipuas reducere, & in his ipsis Insulis ad pagos etiam pauciores; frequentiores tamen, ubi per glebæ fertilitatem liceret; ut sic & gentes illæ faciliùs gubernari, solidiùs in rebus fidei instrui, & mutuis exemplis, velut carbones igniti conceptum fervorem fovere, ac ipsi demum Missionarii, tum gregi suo, tum sibi invicem pro rerum exigentia succurrere possint.

Has intentiones strenuè promovit prænominatus *Ven: P. Emmanuel de Solorzano,*

lorzano, cujus epiſtolam habeo in hoc argumento datam Anno 1681. 25. Maji ad Provincialem Philippinarum *R. P. Joannem Andream Pallavicinum*, quâ inprimis exorat navigium majus, ad pertentandam viam *Auſtralem*, & ambitum Inſulæ *Forres*, tractúmque totum illum *Auſtrum* versùs, de quo certas jam habebat notitias, inveniri nimirum in ſinu illo gentes longè manſvetiores, decenter veſtitas, quæ & ſub lege vivunt, & Regem agnoſcunt, qui reliquis imperat: & cùm variis etiam mercibus abundent, in ſpem venerat, aperiri poſſe oſtium commercio cum Philippinis Inſulis, ex quo & hæ omnium pauperrimæ, quas jam Chriſto ſubjecerant, tum nuditati ſuæ prorſus verecundæ, tum reliquis ad vitam neceſſariis opportuna ſubſidia obtinere; & illæ, quæ ad *Auſtralem* plagam jacent, multæ ac grandes, & quarum adhuc terminum deprehendere non licuit, ad Meſſem Evangelicam diſponi poſſent.

Ab

Ab Inſula *S. Joannis* tranſiverunt ad Inſulam alteram *S. Annæ*, vulgò *Sarpanna;* deinde in *Tinian*, & *Saypan*. Inſula S. ANNÆ, alio adhuc nomine *Rota* dicitur, quæ quidem culturæ Evangelicæ pertinaciùs reſtitit ſub principium, lætiſsimos tamen poſtea fructus dedit; & ultimus fuit laborum campus *Ven: P. Auguſtino*. Ad quem dum redit hiſtoria: lubet ex ejus epiſtola, quam ultimam dedit ex pago *Soſa* Inſulæ S. ANNÆ, 21. Maij 1683. referre quandam velut apologiam pro innocentia Societatis contra obtrectatores, & famæ alienæ lividos direptores, qui perſvadere jam voce conabantur publicâ, ingentem auri, & gemmarum copiam eſſe debere in Marianis Inſulis, quòd in illis tam operosè ſe occupet JESU Societas. *Ingens eſt hæc*, (ſcribit ille) *non ſolùm in Miſsionem noſtram, ſed univerſam Societatem injuria, & calumnia, quâ glorioſos Majorum noſtrorum labores dedecorare nituntur. Aliæ hìc divitiæ non ſunt quàm animarum, barbaræ*

hujus gentilitatis; ceterùm nudæ, & humanis commodis propè omnibus ſpoliatæ. Animæ pretioſo DEI Filii Sanguine redemtæ, hæ ſunt margaritæ illæ pretioſæ, & theſauri incomparabiles; quas ut ex perditionis baratro erueret, nulli omnino labori pepercit Societas, mille ſubiit vitæ pericula, imò vitam dedit, & ſanguinem Illuſtrium Filiorum ſuorum, prout teſtantur ſex ex primis Miſsionariis crudeli nece interemti. Hæ margaritæ Regium Majeſtatis noſtræ diadema longè exornant auguſtiùs, quàm pretium omne lapidum, quos toto orbe conquiſiveris. Ad hiſtoriam redeo. Tam læta Chriſtianitatis initia adverſitatibus provehi oportebat, & ut radices agerent, ſuſtinere turbinem.



CAPUT XVI.

Excitata gravißima perſecutione, nova incrementa ſumit Sancta Fides.

NUllus ſinus maris dat frequentiores procellas, quàm qui arctiùs à continente ſtringitur,& copioſioribus Inſulis, velut habenis, coërcetur, id quod nôrunt omnes, qui mare navigant. Ex qua ipſa cauſa fretum Marianum continuis propè æſtuat tempeſtatibus. Imago ad vivum exprimens mores populi ſui, & motum illum paſsionum, quo identidem jactatur necdum ſatìs domita barbaries; ſub principium maximè, dum vi compelli debet ſub jugum Chriſti. Quamvìs enim tranquillitatem ſpondeat, nè fide huic malaciæ, momento mare vertitur, & ubi luſerunt,ſorbentur navigia. Necdum naturam exuit, quâvis undâ mobilior barbaries; ſi vel unus ex adverſo afflet ſeditioſus turbo, unda undam, fluctus fluctum, pro-

procella procellam trudet, quousque perduellione turbentur omnia. DEO tamen protegente, hac vice furor ad communem insurrectionem non venit, plurimi tamen in facinus conspirârunt. Dicam in compendio; populus ille, qui tanto labore ex cavernis, in quibus pecudum agebant vitam, extractus fuit, & ad mansvetudinem Evangelii excultus, semper aliquos retinuit primæ indolis Barbaros, qui per intervalla sollicitabant corda reliquorum, ut se in pristinam vitiorum libertatem, & vivendi licentiam restituerent, neque paterentur violentiam legis Christianæ, carni, & sangvini adeò contrariam. Hoc clasśico resonante, primum furorem in authores suæ servitutis, Prædicatores Evangelicos exerunt: quos ex insidiis aggresśi, nihil tale metuentes, diversis in locis, crudeli morte in fidei odium è medio tollunt; sex imprimis: *P. Didacum Ludovicum de S. Victore, P. Sebastianum de Monroy, P. Antonium de S. Basilio*

ſilio cum aliis Sociis. Contra quam ferociam, ut Prætor reliquum gregem pro officio tutari poſſet, petit ex Philippinis, & impetrat ſuppetias militares, quibus in primis præſidium in Agadna corroborat, ex quo velut Equo Trojano neceſſarius terror propagaretur in totam provinciam. *Plures* enim, ùt loquitur S. AUGUSTINUS, *continet timor.* Simul eodem tempore in Inſula *Saypan* aliud caſtrum tumultuariè ejici jubet ex mole terrea, regulari ſepto ex truncis arborum præmunitum. Cui præfecit Virum ex paucis ſtrenuum *D. Joſephum de Quiroga*, & *Loſſada* Nobilem de *Gallicia*, veteranum Ducem, magni tum in Belgio, tum Hiſpania à peritia rei militaris, jam nominis; ſed quod caput omnium erat, vitæ prorſus exemplaris, gloriæ DEI, & ſalutis Barbarorum zelantiſsimum, quam illi laudem ſcripſit *Vener: P. Emmanuel de Solorzano.* Hunc Ducem priùs, quàm ad conſtituendum caſtrum alterum dimitteret, cum lecta

cohorte

cohorte jubet in authores ſeditionis totâ latè provinciâ inquirere, comprehenſos exſcindere, ſeductos forti manu ad priſtinam DEO, & Regi obedientiam compellere. Qui illico caſtra poſuit in monte *Maxaute* dicto, ex quo emiſsis in omnem viciniam copiis, receſſus Barbarorum penetrans, & terrore præoccupatos, & magìs flagitii horrore, oblata etiam ſpe gratiæ, faciles jam in venabula ſua pertraxit, advolutos pedibus, veniam temeritatis exorantes, fidémque primam DEO, Regi ſubjectionem, Miniſtris Evangelicis promptas aures, renovato juramento ſpondentes. Quod ut oſtenderent ex animo verè contrito, ſe agere, ultro ad Præfectum adducebant malorum omnium authores, & homicidas, ut juſtis pœnis plecterentur. Sic fiebat per omnes Inſulas; nam & *Rotenſes*, ut vim armorum à ſe averterent, & promeritam caſtigationem, ſubmiſsa legatione rogabant ſupplices, in fidem, & protectionem Hiſpano-

ſpanorum admitti, in conteſtationem promti obſequii offerentes Caput flagitioſorum, hominem improbiſsimum, *Mantapanus* dictum, parricidam *Ven: P. de Sant Vittores*; quem vivum quidem in navim projecerant, ſed tot plagis jam multatum, ut infelicem animam ſinè remedio priùs ejecerit, quàm in terram deportaretur. Similiter Incolæ ex pago *Jarragui*, geminos percuſſores *Ven: P. Antonii de Baſilio*, vivum alterum, alterius cadaver protulerunt.

Cùm autem Præfectus militum ad quietem toti regioni poſtliminio reducendam, cognoviſſet, neceſſe fore ex primis, ut *Rotam* Inſulam, nidum, & receptaculum latronum, armata manu percurreret, ſumma celeritate eò arma convertit, ubi exuſtis pagis aliquot facinoroſorum, comprehendit occiſores *Ven: P. Sebaſtiani de Monroy*, & alterum bipedum ſceleratiſsimum *Aguarin* dictum, qui fax erat, & incentor ad omne ſcelus, prout ab ipſis populari-

pularibus ſuis compellabatur. Flagitioſis in hunc modum exciſis, cùm reliqui jam ſponte ad officia pietatis pœnitentes redirent, victor in *Agadnam* rediens, Magnæ DEI Matri, ſub cujus glorioſis auſpiciis hanc expeditionem ſuſceperat, vota exolvit. Et ut non ſupereſſent flagitiorum irritamenta, ipſa receptacula Barbarorum, petras, & rupes vectibus ferreis perfregit, ac evertit, ſic, ut viam ſterneret Equitatui in omnem partem Inſulæ permeabilem. In quo opere Dux ipſe primus manus applicuit, milite ad Ducis ſui exemplum fortiſsimè pios auſus proſequente. Simul refloreſcere cœperunt Reſidentiæ Prædicatorum Evangelicorum, & cultus divinus velut poſtliminio redire. Atque ità ſecuta eſt tranquillitas priſtina uſq; ad annum ſæculi hujus octogeſimum quartum.



CAPUT

Caput XVII.

Induſtriæ, quibus uſi ſunt Miſsionarii ad reſtituendum Sanctæ Fidei ſplendorem.

UT deinceps meliùs in officio retinerentur Neo-Fideles, reducti ſunt iterum ad ſuas colonias, & in pagos diviſi. In pagis verò ſingulis, more in Europa conſveto, nominati *Judices*, quos *Rectores* vocant, qui ad manum eſſent Gubernatoris pro externo regimine, & imperata ad ſuos deferrent, & executionem perurgerent: faciliùs enim à popularibus imperia ſuſcipiunt. His adjuncti ſunt pro numero, & multitudinis exigentia duo, aut tres, velut *Æditui,* qui Miſſionarios in ſuo munere adjuvant. Horum munus eſt, convocare cætum ad Eccleſiam, & doctrinam Chriſtianam, invigilare moribus populi, monere Miſsionarios de infirmis, periclitantibúsque ex partu; diebus Feſtis ac Domi-

Dominicis prælato vexillo doctrinæ capita præcinere, dum pulchro ordine deducunt populares ad Divina officia; & in ingressu Ecclesiæ præorare, atque ex formula recitare contritionis actum. Quod ipsum faciunt per singulas familias, dum ad somnum se disponunt; decantant enim dogmata fidei, & bis in hebdomade adulti ad unum omnes intersunt sacræ doctrinæ, feriâ quartâ, & sabbato; parvuli verò catechizantur in dies singulos. Quod tanta Religione præstant, ut, si quando impedimentum occurrat, præmoneant, rogéntque priùs Patres, ut ipsi discernant: utrùm idonea sit causa absentiæ. Quâ continuâ culturâ mirificè proficiunt in mansvetudine Christi.

Maximus verò labor est in procurandis vestimentis, nè utì priùs toto corpore nudi procedant in publicum; cum lumine enim fidei amor etiam verecundiæ crescit. Cui egestati, ut quovis modo occurrant Missionarii, quan-

quantâ curâ possunt, gossipii seminationem, & œconomiam promovent; docéntque ipsi expurgatum fruticem in fila ducere, fila in telam & pannos contexere, omnibus omnia facti, ut omnes lucri faciant. Advehuntur quidem ex Philippinis subsidia aliqua in operimenta corporum: sed ut pro tanto populo, qui in dies augetur, sufficiant, sperandum non est, nec ærarium Regium sufficeret, neque ratio politiæ id patitur; nisì enim ipsi assvescant suis necessitatibus providere, nunquam in cultos mores transibunt. Inprimis autem Juventus, quæ in Seminariis sub Patrum cura, & institutione in spem optimam educatur, ad has artes ediscendas applicatur, illo profectu, ut jam complures & manu peritâ fila ducant, & pannos sive telas contexant. Sunt enim meliorum etiam disciplinarum capaces, si modò Magistri pro instructione adessent. Quo simul consilio abducuntur à perniciosissimo otio.

Horum parvulorum cura potiſsima fuit *Venerab: P. Auguſtino*, quos tantâ ſolertiâ erudiebat, ut in Reſidentia S. JOSEPHI (quod in illa barbarie ſanè mirandum) ſanctiſsimo Miſſæ Sacrificio didicerint non ſolùm decenter ſervire, ſed reſpondere etiam Sacrificanti, & quidem ex ſolo auditu, cùm plerique adhuc literas non noſcerent; ídque intrà menſis unius ſpatium obtinuit; *Ven: Patre* laborem ſic facilitante, ut quotidie illis lectionem per partes frangeret, & præorando memoriæ imprimeret. Qui verò jam legere addidicerant, & ſcribere, etiam ad Muſicam applicabantur, ſciúntque jam aliqui harphâ ſive pſalterio pro more Hiſpaniæ canere. Neque ſolùm ſacrificantibus miniſtrant, ſed inſuper, ritu, quo utimur pro Miſſarum ſolenniis. Diviſerat autem exercitationes pro captu ſingulorum, in horas ſingulas: prorſus ad illum modum, qui in Seminariis Europæis obſervatur. Nam Sacrificio Miſſæ

quoti-

quotidie interſunt, ad quod ordinatè procedunt prælato labaro, cantantes Hiſpano idiomate doctrinæ ſacræ verſus, & eodem ordine ab Eccleſia domum recedunt. Horâ poſt meridiem ſecundâ ſimul recitant coronam B. Virginis, ſub veſperum Litanias, eodem ritu ad matutinas & veſpertinas preces congregantur. Singulariter autem Innocentiæ & caſtis moribus invigilabat. Hinc vel remotè ſubodoratus olidi aliquid, in puero, quo pro aliorum ſervitiis utebatur, illico illum à contubernio amovit, nè vel ab afflatu ſcabioſæ ovis, grex tenellus vitium contraheret. Hæ parvulorum erant lucrandorum induſtriæ; nunc ad Apoſtolicas curas *Ven: P. Auguſtini* convertamur.



Caput XVIII.

Residentiæ, quas administravit, & erexit Ven: P. Augustinus in Insulis S. Joannis, & S. Annæ, sive Rota.

PAce jam Provinciæ reddita, Gubernator otium sumpsit lustrandi totam S. Joannis Insulam, ut consilium illud exequeretur, de contrahendo pagorum numero ad pauciores, sed frequentiores. A parte igitur Orientali transivit ad Septentrionalem Insulæ, in qua complures erant pagelli, quos omnes deduxit ad locum *Inapsan* dictum, amplum & patentem, situ ipso peramænum, lignis abundantem, & in medio terræ illius, cui jam assueverant, positum. Ad reliquas tamen commoditates, una deerat: descensus nimirum cymbis ad mare, quem ingressum ut illis aperiret, perfregit per suos milites magno labore, latentes sub aquis scopulos, quod prodigio simile visum indigenis. Hoc beneficio

neficio accumulati, quantocyus ſe congregârunt, prioribus domiciliis relictis, in unum pagum, diviſum in duos vicos ad diſtantiam quartæ partis levcæ, ut hac ipsa diviſione major ipſis fieret commoditas, tum pro ſatis, tum pro piſcationibus. Indè digreſſus Gubernator ad partem Auſtralem Inſulæ, ubi campus planiſsimus ſub monte pridem habitato: hìc alteram Incolis habitationem deſcripſit, ſanè percommodam, & priore non minùs amplam, qui etiam ex nomine ſuo *Pago* dictus eſt, & in ſinu fluvium excipit, latè regionem illam inundantem, ſic ut nihil ultrà uſibus ſuis ſive terrâ, ſive mari deſiderare poſſent Indi. Nec diſtabat *Agadnâ* ultra duas levcas.

In hos geminos pagos diviſi Incolæ ultro ſe obtulerunt ad Reſidentias Patrum, & Eccleſias ædificandas. Quem laborem brevi tempore, quia magno fervore ſuſceptum, abſolverunt. Atque ità geminæ Eccleſiæ acceſſerunt, ſolidiſsimis fundamentis, quarum quæ-

libet trium erat navium, altera in *Inapſan Archangelo Michaëli & Militiæ Cœleſti* ſacra, altera in *Pago, Immaculatæ Conceptioni Deiparæ Virginis* dedicata. Converſus deinde Gubernator ad occidentem, ibi portum conſtituit, in quo deinceps jaciendæ erant anchoræ, ubi tertiam coloniam coëgit, conſtitutâ Eccleſiâ ſub honore *S. Dionyſii Areopagitæ*.

Ex his Reſidentiis prima *Ven: Patri Auguſtino* obtigit, excolenda in *Pago* ſub honore *Immaculatæ Virginis*. Sed non diu hoc loco ei ſubſiſtere licuit, dum enim creſceret multitudo credentium, multiplicare etiam oportuit Reſidentias, & transferre Miſsionarios ad loca remotiora. Duabus ſolùm levcis diſtabat *Pago* ab *Agadna*. Locus ad quem translatus fuit *Ven: Pater*, diſsitus erat terreſtri quidem itinere ad ſex, maritimo verò ad decem levcas, linguâ barbarâ *Inaraſan* dictus; ex quo tamen hoc ſolatium retulit, quòd non procul abierit extra amicitiam,

tiam, à *Matre Virgine*, ad *Sponſum Virginis*, quia Reſidentia illa *S. Joſepho* conſecrata fuit. Quia tamen Indi illi quò remotiores degunt à præſidio Hiſpanorum, eò minùs ſunt tractabiles, majorem ibi invenit campum & agendi, & patiendi. Tractu tamen temporis, & conſvetudine frequenti, affabilitas ſancta *Venerabilis Patris* hoc novale Chriſti ſic immutavit, ut faciem prorſus novam induerit. Inprimis renovavit connubia ad leges Matris Eccleſiæ, proſcripto in perpetuum abuſu barbaro, ut ubi libitum fuiſſet, inter ſe matrimonii nomine coirent, dum aliter liberet, rurſus diſſolverent. Hujusmodi malè cohabitantium paria centum ſanctiore fœdere copulavit; ſacro verò Baptiſmi fonte 450. abluit. Quo ſucceſſu in majores ſpes erecti Superiores, difficiliorem illi Provinciam offerunt in Inſula *Rota*, ſive *S. ANNÆ*, ad novam ibi formandam Chriſtianitatem. Venit eò ſub initium Januarij ad Reſidentiam S. FRANCISCI BORGIÆ

in pago *Sosa*, quem locum illi cesserat P. *Petrus Comanus* veteranus Missionarius, qui ad erigendam novam in eadem Insula Residentiam in pago *Agusan* discesserat; sed antequam hoc in opus redigere posset, avocatus fuit ad expeditionem, quam ducebat in *Gani* Insulas à Prætore missus Capitaneus, atque ità solus in vastissima hac Insula perstitit *Ven: P. Augustinus*. Primùm quidem in *Residentia S. BORGIÆ*, quæ in tres distributa colonias, domos numerabat centum nonaginta, animas verò Sacramentorum capaces ultra mille. In media harum coloniarum *Sosa* dicta residebat, dissita utrinque à reliquis ad levcam Hispanicam, & singulæ coloniæ protendebantur ultra levcam in longitudinem; via insuper erat saxis aspera, mari autem iter agere venti prohibebant; campum igitur habuit pro excursionibus Apostolicis ad levcas quatuor in hac una Residentia, in qua salutaribus Baptismi aquis ex adultis supra quingèntos, parvulos

omnes

omnes abluit, matrimonio verò junxit 170. paria. Transiens deinde ad fundandam in *Agusan*, novam Residentiam, hanc ex fundamentis erexit, & sub tectum deduxit, sive materiale spectes, sive spirituale ædificium, omni ex parte absolutum. *Atque ità per DEI gratiam*, scribebat ipse in Europam, *tota jam in DEUM credit, & S. JOANNIS, & S. ANNÆ Insula. Benedictus DEUS!* Non omittam pium hoc loco dolum adscribere. Adverterat *Venerab: Pater* Insulanos istos à pauculis annis ità assuevisse tabaco fumatorio, ut hoc munere, quidquid optas ab ipsis impetres. Cùm tamen primis annis, dum conspicerent ex Europa venientes milites fumatorio tabaco uti, magos crederent, qui ignem spirarent ex ore & flamas sub lingua volverent. *Progressu autem temporis*, scribit ille, *hanc artem adeò bellè apprehenderunt, ut jam prodigia esse desierint, nec sit puer, aut etiam puellula, quæ etiam in defectu tabaci, quovis alio folio, uti pro fumo non noverit. Atque ità vi-*

tium

tium hoc (ſi tamen vitiū eſt, dempto abuſu) ab Europæis in Marianos tranſiit; ſingulari tamen DEI Providentiâ, cùm in defectu alterius pecuniæ pro ſolo tabaco ab his Indis obtinere poſſis omnia. Æſtimârunt primò ferrum, ſed ſingulis annis tantâ copiâ allatum viluit. Non minùs etiam æſtimabant vitrum, inprimis ſonoras nolulas, ut ſæpe pro unâ nolula gallinas (quæ ex Europa allatæ felici fæcunditate multiplicantur) venderent quindecim. Sed & vitri pretium totum jam videtur tranſiviſſe in tabacum, ſic ut Miſſionarii ipſi pro conciliando affectu populi hujus, non aliud ferè habeant illicium. Hinc & ego, utriusq; licèt tabaci hoſtis infenſiſſimus, in gratiam Marianorum nolens volens, mecum circumferre, quaquaverſum gradiar, tabacū cogor; ut quod aliàs dicere ſolebat celeberrimus ille in Americanis Indiis Operarius P. Caſſini; non tantùm per aures fidem debere intrare Indis, ſed etiam per os; ego inſuper per nares intrare faciam. Tam lætis progreſsibus novus ſucceſsit turbo, & ille decumanus.

CAPUT

Caput XIX.

Nova persecutio ex insurrectione Insulæ S. JOANNIS, incentore Judâ Apostatâ.

MEnse Julio Anni 1684. *Josephus de Quiroga*, rebus anno superiore feliciter gestis, & divino Imperio subactis Insulis *Saypan*, *Tinian*, *Agiguan*, nova mandata accipit à summo Marianarum Prætore D. Damiano de Esplana, ut remotiores ad Aquilonem Insulas, quas de *Gani* appellant, invitet, & inducat ad transmigrationem, ducendásq; colonias in Insulam S. JOANNIS, soli benignitate humanis usibus longè faventiorem. Huc igitur expedivit Capitaneum cum selecta 25. militum manu, quot sufficiebant in hanc expeditionem, adjuncto etiam *P. Petro Comano*, qui suavi verborum vi idipsum persuaderet. Octo erant Insulæ, quæ sub hoc nomine veniunt. Exscensione facta ex una ad alteram Insulam, ubi-

ubique cum pace, & sinè resistentia cum suis exceptus est Capitaneus, si unam ex his *Ganensibus* Insulis excipias, cujus Incolæ præruptis suis, & inaccessis, utì credebant, scopulis præfisi, resistebant principio, ubi autem armis Hispanicis rem agi viderunt, ceciderunt animis, & quæ sponte admittere nolebant, coacti susceperunt imperia. Verbo, omnes hæ Insulæ se obsequentes exhibuerunt; Parentes quidem parvulos suos ad baptismalem gratiam ultro obtulerunt, se ipsos etiam prompto animo ad instructionem pro Fide, ad commutandas sedes, & ducendas colonias ad Insulam Metropolim S. JOANNIS.

Huic tam prospero rerum politicarum pariter, ac spiritualium progressui invidens infernus, DEO (cujus judicia semper justa sunt) sic permittente, novam, & omnibus annorum superiorum longè graviorem tempestatem excitavit, quæ non solùm bene cœpta in novis Insulis, sed tot jam annis continuata

tinuata in S. JOANNIS, & S. ANNÆ, Religionis Catholicæ exercitia, ac ſpem propè omnem cum univerſali Chriſtianitatis novellæ ruina, uno quaſi momento proſtravit, & evertit. Cui tragœdiæ, ut ſuus non deeſſet *Judas* proditor, in caput perduellium ſemet obtulit infamis Apoſtata, qui ex ipſo baptiſmatis fonte hoc nomen ſuſceperat *Antonius Judas*. Homo iſte, qui jam pridem ſathanam in cor ſuum admiſerat, cùm adverteret ſeniores ex pago ſuo *Apurguan*, minùs fortaſsis Evangelicæ diſciplinæ patientes; externi dominii intolerabile jugum, velut vectem adhibet rei Chriſtianæ penitus evertendæ; quasi diceret: *Vos neſcitis quidquam; expedit, ut pereant pauculi, quàm ut tota gens noſtra in interitum trahatur.* An non videmus, in quam nos ſervitutem redegerint Hiſpani, dum à deliciis noſtris abſtractos, ad duriſsimos & quotidianos, in agris colendis & ſubigendis, nos condemnârunt labores, & ſub lege priſtinæ liber-

tati

tati prorſus oppoſita vitam miſerrimam nos agere compulerunt. Ad hæc conſilia, dum illi, quos reclamante conſcientia ſanctus Timor adhuc retinebat, velut attoniti ſubſiſtunt, reliqui, quos pecuina voluptas, & peccandi licentia ſtimulis agebat ferocibus, pronis auribus admiſerunt, quod ſuadebat proditor ille facinus; & datis in conjurationem dexteris, ut rupto velut aggere, cædibus Innocentûm omnem latè Provinciam inundarent, in ſocietatem ſceleris reliquos *Joanneæ* Inſulæ pagos pertrahere, modis quàm poſſent ſecretis, ſed ſimul ad terrorem propagandum efficacibus, concludunt: atque ità uno ore conclamant in necem exterorum omnium, & nominatim Patrum, & Evangelii tam inviſi Prædicatorum.

Quia tamen horror ipſe ſceleris, tum etiam incertus exitus, certum autem ſupplicium, ſi alea extra votum caderet, furorem tantiſper ſiſtebat, moræ hujus impatiens Judas, jam in omne

omne ſcelus abjectus : *Quid*, inquiebat, *cunctationi finem non facimus? ſi prodantur conſilia, perimus. Jacta jam eſt alea, aut perdimus illos, aut ad noſtrum interitum ſervamus. Retrò jam pedem referre, non eſt integrum. Quin exſcindimus tandem, quam ex merito odimus Religionem? Quid mihi dabitis, & Prætorem manu mea tollam? Vos reliquos, ſed cautè.*

Cùm ſic in ducem facinoris ſe obtuliſſet *Judas*, & partem magìs arduam, Prætoris ſcilicet interficiendi, ipſe ſuſcepiſſet, juberétque rem diu benéq; meditatam feſtinatò exequi, in ſententiam tandem pertraxit conjuratos, qui dicuntur fuiſſe ſexaginta. Erat autem ſabbatum, quod 23. Julij antecedebat, ſub cujus crepuſculum commilitonibus officia eâ lege, & ordine deſignat, ut alii quidem irruerent in milites, qui extra Caſtrum invenirentur; alii impetu Prætorianas vigilias obruerent; alii caſtrum ipſum diriperent; alii denique, Patres in Reſidentia, violenta morte è medio tollerent. Sic rebus

rebus pridie conſtitutis, Dominicam ſubſequentem facinori deſtinant; locum verò Orationis: quem conjurati clàm ſubeunt, armati frameis, pugionibus, cultris majoribus, ac fuſtibus; arma tamen ità occultè geſtant, ut nulli fidelium ſuſpicionem moverint crudelitatis, die tam ſancto exercendæ.

Aderat pro more Miſsarum Solenniis Prætor ſinè comitatu, quia ſuî ſecurus; quem finitô Divinô officiô *Judas* cum tribus lectiſsimis latronibus, dum ex Eccleſia egredi videt, ſinè armis, ſinè famulis, ſinè omni cuſtodia corporis, à tergo occupat cum ſociis, multíſque vulneribus confoſſum proſternunt, conculcant, perempturi penitus, nisì ejulatus innocentis pueruli evocâſſet Prætorianos milites, quorum duo pleno curſu contra perduelles effuſi, arma armis opponunt, & alter quidem ſummo impetu haſtam *Antonio Judæ* in ilia impellit, alter frameâ diſſectum per medium, cogit fædiſsimam animam cum viſceribus effun-

ſundere. Sic *Juda* perempto, & *in locum ſuum* miſſo, advolat & famulus Prætoris, pro Hero ſuo ſollicitus, qui alterum ex Prædonibus interficit; ſimúlque Prætorem vivum adhuc & ſpirantem internecioni ſubtrahit. Duo reliqui latrones in fugam verſi, vel quòd ità crederent, vel ut ſcelerum ſociis ad audenda reliqua, & finiendam cataſtrophen etiam mendacio animos adderent, percurrentes magna celeritate Inſulam, elata voce proclamant: Prætorem occiſum, auderent porrò, & proſequerentur cædem, Patrum vel maximè.

CAPUT XX.

Impetus Conjuratorum in Reſidentiam Agadnenſem, & Patrum cædes.

Cùm in proximo eſſet Feſtum S. P. IGNATII, erant in hoc ipſum tempus ex aliis Reſidentiis convocati Miſsionarii pro 24. Julij *Agadnam*, velut ad ſedem principalem, negotia ſpiritûs pro ſe, & commiſſo grege acturi

de communi consilio. Quorum aliqui jam congregati erant; alii sub meridiem, dum in æstu ipso esset primus barbarorum furor, alii sub vesperum, rabie jam concidente, advenerunt. In quo singularis enituit Divinæ Providentiæ cura, sic ordinans, nè sub uno ictu interiret tota Missio, ut servarentur aliqui pro novo semine, alii verò duram hanc terram sanguine suo irrigarent. Vox de percusso Prætore Classicum erat, ad dispergendum reliquum sinè Duce Christianum populum, sed inprimis, qui gregi invigilabant, Pastores Evangelicos. Qui igitur destinati erant, ut collectos in Residentia Patres obruerent, & fœda morte delerent, jam se insinuaverant in intima domûs, occupantes aditus omnes à porta, per scalas usque in superiorem ædificii partem, effusi per ambulacra, & impetum facturi in conclavia.

Non satìs scio, quid negotii eo tempore habuerit cum Indis fidelibus Vice-Provincialis *R.P.Gerardus Bouvens*

ante

ante ostium sui conclavis, quem ocyùs impacto in latus prægrandi fuste, humo affligunt, & duplici vulnere graviter sauciant; pro quo tamen animam suam ponens frater Laicus, in cuneum latronum insilit, seminecem in cameram retrahit, & clausô ostiô vivum adhuc furentibus eripit. Ad quem tumultum ex cubili suo cordatè prosiliens *Ven: P. Emmanuel de Solorzanô*, qui Officium & Regimen *Patri Gerardo* nuper cesserat, pro eodem etiam vitam gloriosa morte commutavit. Erat pridem in odio, quia Viri Sanctitas vel ad videndum gravis erat sceleratissimis parricidis; hunc igitur cultris, pugionibus, sudibus, eum in modum concîdunt & conterunt, ut pretiosam animam illa adhuc nocte pro concredito sibi grege Pastori omnium redderet, adeò bene de illa Missione meritus, ut secundus illius *à P. Ludovico de S. Victore* Fundator audiret. Post hunc *P. Jacobus Zarzosa* fuste in caput percussus, simul tamen è prædonum manibus elapsus,

 ad

ad excipiendam Prætoris, utì credebatur, animam agentis, Confeſsionem accurrit. Alii Sacrilegi *Balthaſarem Dubois* Laicum Religioſum comminutô craniô, & effusô cum ſanguine cerebrô, nè effugere poſſet, terræ allidunt, repetitísque ictibus obtruncant.

Neque mitiùs egêre cum altero Laico *Petro Bavon*, quem plurimis & in capite, & in ſcapulis, ac reliquo corpore, punctim, cæsímque datis vulneribus dilaniârunt; hunc tamen ſuperſtitem voluit DEUS. Et verò contra ſpem convaluit. Supererat vir DEO charus ex Philippinis ortus, Religioni noſtræ adjunctus, ex illorum nimirum claſſe, quos Hiſpani *Donatos* vocant, anima manſvetiſsima, & in optimo ſenio; hunc dirè conciſum ad Societatem ſupernam in ſuo ſanguine triumphantem tranſmiſerunt. Dúmque iſti ſic furori ſuo litant, in cæde perſonarum DEO Sacrarum; alii, quos extra Caſtrum in viis publicis, privatorum ædibus, ipſa Eccleſia,

Hiſpa-

Hiſpanos milites reperiunt, cædunt & mactant; ipſas ad Caſtrum Vigilias, dum incautiùs agunt, aggreſsi, geminos ex præſidiariis interimunt.

In hac rerum perturbatione Sanctiſsimum Miſsæ Sacrificium perſolvebat in Eccleſia *P. Antonius Cerezo*, aliàs *Kersbaumer*, natione Germanus, & ex Provincia Bavariæ, in Societate *Ven: P. Auguſtini* ad hanc Miſsionem ſubmiſſus. Hic quamvìs de Rebellium furore, & domeſtica cæde monitus, reverentiâ tamen Sacrificii illud abrumpere noluit, ſed fortior omni metu, & dignâ quovis Heroë conſtantiâ, ſtetit ad aram, uſque ad finem Liturgiæ; & inſuper militi Sanctiſsimum Chriſti Corpus petenti, cum eadem animi præſentia devotiſsimè porrexit. Interim milites, quos in compitis, velut efferati canes inſequebantur parricidæ, ad Eccleſiam, Sacrum Aſylum, confugientes, cuneum ſceleratorum poſt ſe in Ædem ſacram traxerunt. Contra quos *P. Antonius* ab ara con-

versus, manu Sanctissimum CHRISTI Corpus tenens, ad templi medium processit obvius. Quo facto adeò perterruit barbaros, ut in fugam se dederint, relictis indemnibus & Patre & Fidelibus, qui ad hoc asylum confugerant. Quæ res sanè aliquid supra naturam habuit, vel ex eo maximè, quia his dilapsis succedebant alii, necem innocentum adhuc spirantes, & eodem in Ecclesiam impetu irruentes, quos pari constantia animi, & eventu, prælato contra turmam barbaram eodem Sanctissimo Sacramento, tanto terrore occupavit, ut steterint attoniti, veluti si ex marmore essent statuæ, sic ut nihil penitus indignum à barbaris, vel in se, vel in adhærentibus sibi passus sit. *Laudetur Deus, & Sanctissimum Sacramentum.*

CAPUT XXI.

Propagatur Rebellium rabies in alias Insulas ad Patrum reliquorum necem.

HIs in Agadna sacrilegè gestis, dilapsi impii, ut vires recolligerent,

DEO

DEO in ſolatium ſuorum ſic diſpo-
nente, ſpatium conceſſerunt tum
militibus, tum Patribus, qui adhuc
ſuperſtites erant, ſe ad Caſtrum reci-
piendi, & ſi fortè majore numero per-
duelles redirent, junctis viribus offen-
ſiva arma in defenſionem expediendi.
Cùm ecce Vigiles novo terrore com-
plent omnia. Ingens Indorum turma
adventare nunciatur. Trepidatum eſt
ad hoc nuncium, uſq; dum agnoviſ-
ſent, ductorem hujus Turmæ Indum
eſſe, ex paucis fidelem, & probatæ ſem-
per fidei *Ignatium Inetti*, Virum inter
ſuos ſtrenuum, & magna fortitudinis
laude celebrem, qui in defenſionem
periclitantium cum ſuis advolavit, &
confeſtim ſe Prætori, infortunio Chri-
ſtianitatis illacrymans, obtulit. Con-
jurati interim totâ Inſulâ diſperſi, faci-
nus ſuum evulgabant, ſollicitando pa-
gos omnes ad generalem inſurrectio-
nem, ſtrenuè mentientes, occiſos
jam, & deletos in *Agadna* præſidia-
rios ad unum omnes, cum Prætore &

Patribus. Miſsis etiam nuntiis ad Inſulas *Rotam*, *Tinian*, *Saypan*, & *Gani*. Quo mendacio plurimùm ſpei ultimæ obfuerunt: quia & illis, qui in omne ſcelus abjecti erant, addebantur animi, & fideles adhuc, deſperata ab Hiſpano præſidio protectione, in deſperationem præcipites ibant.

Serpſit igitur quàm latiſsimè flamma, quæ primùm *Apurguanos*, deinceps *Retigianos* eodem furore ſuccendit. Nam ex primariis pagi illius, unus, qui rebus in *Agadna* geſtis otioſus non adfuerat, eadem adhuc die ad ſuos reverſus, confirmavit mendacium, de Prætorio cum Chriſtianitate omni, eo loco, exciſo; effecítque, ut S. Evangelii apud illos Miniſtrum, *P. Theophilum de Angelis*, natione Italum, clari ſanguinis, Juvenes duo projectæ audaciæ adorirentur, & *Angelicum Patrem* domo protractum, illa adhuc nocte in cymbam raptarent, ex malo ſuſpenderent, ſuffocatíque corpus in altum mare abjicerent. Neque alia ſors manebat

per

per reliquas Provinciæ oras diſtributos Patres, nisì parendi promptitudo eos manibus Rebellium eripuiſſet. Indicto enim in *Agadna* conventu pro 24. Julij *P. Thomas Cardenoſo* ſub meridiem advenit, ad noctem *P. Baſilius Roulx*. *Pagenſes* verò ſuos ſub ſpecie ſecuritatis, veriùs in certam necem, cùm jam ſcelus in cor admiſiſſent, ſervabant; ſed potior illis obſequendi religio, hoc periculo exemit *P. Joannem de Ehumada & P. Joannem Tilpe.*

His jam in tuto collocatis, anxia adhuc cura tenebat omnes, de Sociis reliquis, nimirum de *Ven: P. Auguſtino Strobach, P. Carolo de Boranga, P. Mathia Cuculino*. Et *Ven: P. Auguſtini* quidem glorioſum exitum pro Epilogo hiſtoriæ hujus ſervo; *P. Carolus* verò *Boranga* ex Provincia Auſtriaca, multarum palmarum Vir, incertus conſilii, cùm ex una parte infeſta jam eſſent, & à latronibus obſeſſa itinera, mendax fama *Agadnæ* everſa omnia conteſtaretur; ex altera verò Parochiani in eam horam

ram adhuc fideles, multis illum precibus, & ex animo vero rogarent, nè vitam ſuam in manifeſtum diſcrimen conjiceret, ſemetipſos, & corpora ſua in tutelam Patris offerentes, illis ſe credidit & permiſit. Et perſtiterunt fideles in promiſsis per tempus aliquod, quouſque tandem & ipſi in congenitam barbariem relapſi, Patrem animarum ſuarum, fœdifragi crudeliter fuſtibus contrucidârunt.

Verſabatur ſub id tempus *Joſephus de Quiroga* in *Saypan* cum *P. Mathia Cuculino*, qui ſalutem Inſulæ illius curabat. Caſtrum ibi alterum in præſidium erexerant Hiſpani. Capitaneus ex *Gani* Inſulis cum cohorte ſua nondum redierat, quos dum Prætor de conjuratione vult certos, tabellarius Indus fidem fallit, & ultra *Rotam* Inſulam non progreditur. Rebelles verò antequam hæc ſubſidia ſic diſperſa in unum corpus reduci poſſent, tempore uſi, in *Agadnam* reverſi ſunt, concrematuri Eccleſiam cum Reſidentia & Collegio

Juven-

Juventutis Inſulanæ. Quorum conatibus fortiſsimè, & per longum tempus, dum præſidiarii paucitate ipſa prohibentur ex præſidio prodire in campum, reſtitit in fide & robore Invictiſsimus *Ignatius Inetti* cum ſuis, quousque tandem & ipſe multitudine propè obrutus, ſub armorum præſidii tutelam ſe recipere eſt coactus.

Atque ità 27. Julij Templum & reliqua in *Agadna* ædificia *Orientem* versùs, vorax flamma abſumpſit. Quæ flamma præluxit glorioſiſsimo agoni *Ven: Patris Auguſtini*, utì mox dicetur. Hoſtis barbarus etiam hoc ſucceſſu elatior, cùm jam in poteſtatem redegiſſet totam *S. Joannis* Inſulam, ſolâ *Sinahanâ* (quæ *Ignatii Inetti* eſt patria, ultimum Chriſtianitatis nomen in hac Inſula) in fide, DEO, Regi, & Prædicatoribus Evangelii data, perſiſtente, ultimas vires convertere ſtatuit ad expugnandum Prætorianum Caſtellum aut vi, aut dolo.

Caput XXII.

Generalis totius Insulæ Joanneæ insurrectio contra Castrum Prætorianum in Agadna.

Cùm jam totius Insulæ pagi sub signis convenissent, immensam multitudinem præsidio admovent, illud 19. Augusti arctissimè cingunt, & ferociter impugnant. In quo congressu jam tertiùm se probavit fides & fortitudo *Ignatii Inetti.* Primùm enim Hispanorum armis ex castro adjutus, foris ipse, & extra muros, cum suis stans, & strenuè dimicans, impetum hostium sustinuit, & fregit. Quamvìs enim fundibularii & lancearii ingentem saxorum & telorum vim, velut nubem, in eum effunderent, stetit tamen intrepidus: quoad tandem ex majoribus Hispanorum machinis, sclopísque notabili clade ac strage suorum perterriti barbari, in fugam verterentur; quos ille longo intervallo insecutus, cecîdit à tergo, nè uno quidem

dem è ſuis, ſingulari DEI Omnipotentis protectione, aut deſiderato, aut etiam leviter ſaucio. Non multi intercurrerunt dies, cùm redeunt latrones, majore adhuc numero bellum inſtauraturi. Sed immiſit de Cœlo DEUS imbres, quibus præpediti, vim nullam facere poterant.

Igitur ad dolos converſi, quia aperta vi contra muros propugnaculi, fundis & lanceis prævalere non poterant, tentant ſtrategemate rem peragere. Et primùm quidem Legatos expediunt ad *Ignatium Inetti*, qui promiſsis ampliſsimis animum ejus, ſi poſſent, in ſuas partes flecterent. Si non proficerent, minis exterminationis eum frangerent. Sed is de interitu Religionis Sanctæ magìs ſollicitus, cum exprobratione perjurii & ſacrilegii, impiiſsima poſtulata rejecit, jam ſecurus de protectione Divina. Sic repulſi, ex propinquo magìs dolos exequi conantur. Sciebant Hiſpanis Præſidiariis immixtos Philippinos non paucos;

hos

hos velut finitimos & populares, & cum quibus mutua haberent conjugia, in vota ſua faciliùs pertrahi poſſe credebant, non omnino in vanum; utpote duriſsimi laboris jam pertæſos, & eventûs incertos. Aggreſsi ſunt autem pertentare animos illorum per mulieres, & initium fecerunt à capite ſive Officiali cohortis Philippinæ, ad quem deſtinant aniculam, cujus filiam habebat pro conjuge, ex pago *Apurguan*, viro nomen *Franciſcus Maſongſonus*. Huic capita Legationis ſuæ exponit, nimirum: perſvaderet animosè & cordatè ſociis ſuæ cohortis, ut deſertis exteris, & occiſo Prætore, ſe ipſos in libertatem vindicent; ſi viribus diffidant, nec prævalere poſſent contra Hiſpanos, ſaltèm ſalutari fuga ſe ad tutiora recipiant, & hoc robore enervent præſidium, reportaturi omnem à popularibus gratiam, amicitiam, & bonorum communicationem. Sed alia *Franciſco* mens erat; cohorruit ille ad flagitium, & mox

Præ-

Prætori poſtulata impia recenſuit, rogans inſuper majorem ſuî curam admitteret, duplicarétque Corporis cuſtodiam. Hæc conſilia Prætor communicat cum Patribus, quibus jam ſolis ſumma pericula concredi poſſe cognoſcebat. Siquidem prudens erat metus, nè milites animis fracti, vel in deſperationem abirent, vel ad hoſtem turpi fuga ſe reciperent; cùm jam ante biduum quinque ex Philippina cohorte per murum delapſi, ad perduelles ſeceſsiſſent; alios ſimilia meditari, non obſcuris rumoribus intellexerat, & quorundam in verbis licentia prodebat, quale in pectore lateret venenum. Rebus ſic in arcto poſitis, Patres laudabili exemplo, ut Prætori omnem præſtarent ſecuritatem, arma induunt, & per ſe ipſos excubias ad Prætoris domum præſtant.

Atque ità, etiam hæc iniqua conſilia effectu caruerunt; necdum tamen nocendi voluntas à propoſito deſtitit. Fame expugnari poſſe præſidium certum

tum habebant: hanc viam ineunt, & vias omnes, quibus necessaria ad victum invehi possent, præmuniunt. Unicus illis metus obsistebat, nè copiæ, quæ ex Insulis *Gani* necdum redierant, tum vel maximè Heros insuperabilis *Josephus de Quiroga*, flagellum perduellium, qui in *Saypan* Insula remanserat, laboranti *Agadnæ* in subsidium venirent. Mittunt igitur ad Insulas illas, de corpore suo, quos habebant incentores pessimos, ut & ibi (jam enim eò propagata fuerat seditio) bellum urgeant, perdántque quibus possent modis Hispanos, neque transitum permittant.

Hìc in abyssum intro judiciorum DEI; Cujus Altissima Sapientia in hoc afflictissimo Christianitatis Marianæ statu, & *Josephum Quiroga* in *Saypan* tot voluit casibus exerceri, ut auxilio esse non posset; & Capitaneum cum suis ad Insulas de *Gani* cladem pati longè tristissimam. Redibat ille comite *Patre Petro Comano*, cum 25. militibus in

in *Saypan* ad *Josephum Quiroga* sub finem Septembris, adhuc ignarus Rebellionis. Distributi erant socii in plures naviculas, milites rerum securi, nautæ verò conspiraverant, ut signo dato, vectores suî incurios in mare præcipitent. Exiguo spatio à terra abiverant, & mox ex condicto, incipientes à Capitaneo cohortis, nautæ singuli suos, quos vehebant milites in mare abjiciunt. Ex quibus pleriq; aquis submersi interierunt, pauculi superato periculo in litus evaserunt. Pater verò *Petrus Comanus* suî memor, & confortatus ab alto, nautam suum tanta vi verborum à proditione retinuit, ut illum coëgerit litus repetere, & innoxium exponere. Ubi adhuc 23. Novembris ipsum vivere, & visum à se retulit *Antonius Agihi* Indus ex paucis fidelis. Quidquid tamen agerent *Agadnenses* socii, viam nullam inire poterant, ut *P. Petrum* in securiora deportarent.

Nuncio hujus cladis sic consternati fuêre *Agadnenses* præsidiarii, ut propè

abſuerit, nè cum animis & arma abjicerent, nisì in ſpem erecti fuiſſent Apoſtolicis adhortationibus Patrum, monentium DEI Altiſsimi Æternam gloriam, Regi Catholico juratam fidem, Nominis Hiſpani decus, ultimum in illis Oris Chriſtianæ rei ac ſanctæ Fidei periculum, ſuam denique ſalutem ſempiternam vita hac mortali & temporanea potiorem haberent. Spondere ſe invictum DEIPARÆ Virginis præſidium, tum Archangeli Michaëlis, Præcurſoris Domini, ac Cœlitum reliquorum, quorum tutelæ, ac Patrocinio patriam illam commiſiſſent, parata auxilia. Quæ in hanc diem experti eſſent de Cœlo beneficia, in argumentum admitterent adfuturæ, etiam in præſens, Divinæ opis. Neque enim defuturam pietatem Divinam, cauſam ſuam fortiter agentibus. Quæ tanto ſpiritu dicebantur, ut oracula credi potuerint ex eventu.

Caput XXIII.

In Saypan Insula fortissimè impugnant Josephi de Quiroga præsidium, sed tandem frangitur tempestas.

PRemi potest, non opprimi Petri navicula. Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine crevit, sanguine proficiet, sanguine finis erit. Ejusmodi fuerunt ubivis terrarum Ecclesiæ sanctæ primordia. Ut semper læti successus tristioribus miscerentur. Hierosolymis nata natalibus adeò felicibus, ut totus populus, imò Mundus totus putaretur abiturus post Christum; & mox ad unius Judæ proditorium osculum tanta subsecuta est odiorum tempestas, quæ non aliter, quàm excidio, & communi gentis illius ruinâ componi potuit. Ecclesia nihilominus ex hac tempestate, caput erexit sereniùs: & crevit in lucem tantam, ut jam à fulgore ejus Roma gentium Domina illuminaretur; priùs tamen in Capitolio figere non potuit

Crucis vexillum, quàm catacumbas, & Romam ſubterraneam impleviſſet Martyrum Sanctorum oſsibus. Non alios Natales habuit in Japonia, in vaſtiſsimo Sinarum Regno, & nè procul abeam, etiam in cultiſsimis nationibus, ubi jam dominatum ſuſceperat Fides ſancta, ut ſolium ſuum firmaret, perſecutionibus perduellium concuti debuit; taceo Gallias & Angliam: Boëmia ipſa pro exemplo ſit, & Apoſtolicum Ungariæ Regnum, quantas non viciſsitudines ſubire oportuit, ut in hanc effloreſceret gratiam, quâ ex parte jam fruimur, ſpe etiam majoris nos conſolamur. Denique quæ ad ictum mallei elaborantur, durabiliora ſunt, & ætatem ferunt. Hæc ipſa fuit de Marianis Inſulis benigniſsima DEI Providentia. Ad hiſtoriam redeo.

Joſephus de Quiroga, qui hanc Provinciam ſuſceperat, ut ſicut in Inſula S. JOANNIS fecerat, pariter & hanc gentem ex Inſulis & locis minùs cultis, ad faciliorem transferret glebam, & in pau-

pauciores, populosiores tamen pagos distribueret, ad formandam Christi tandem nomine dignam Rempublicam, sedem fixerat in *Saypan* Insula, ubi & castrum tumultuario opere erexerat, jámque naves expediverat in *Tinian* Insulam pro transvehendis coloniis. Quæ tamen sancta consilia evertit propagata rebellio ad *Tinianenses* primùm; & per hos ad *Saypenses* ipsos, latè evulgato mendacio de exterminio universali rei Christianæ in *Agadna*. Et *Tinianenses* quidem palàm se publicârunt criminum socios, occidendo cum militibus nautas, viros 17. & naves confringendo, ut neque subsidium sperare possent, neque ad tutiora se recipere, qui in utraq; Insula supererant Hispani.

Saypenses verò, cùm sperarent numero facilè opprimi posse paucitatem, insurgunt simul omnes. Priùs tamen experiri voluerunt, quid dolus posset. Veniunt ergo magno numero ad castrum non vocati, petentes accommo-

dari ſibi ſecures pro exſcindenda ſylva, quæ in proximo ſtabat. Ex his aliqui ſe comiter in familiaritatem præſidiariorum inſinuant, & munuſculis etiam pertentant militum animos, ſeptum ipſum ex palis conſtructum, incuriis cuſtodibus jam ingreſsi. Ut ad hoc advertit *Joſephus de Quiroga*, quod erat ſuſpicatus, milites de ignavia caſtigatos ad arma evocat. Qua voce perterriti diffugiunt malè conſcii ad ſocios, qui in inſidiis expectabant, ut milites, quos ad operas elicuiſſent, obruerent, præſidium demum ipſum, milite ſpoliatum diriperent. Sed hoc dolo ſic eluſo, aliam ſtropham inchoant. Mandaverat ante dies pauculos Præfectus, ſeditionis adhuc ignarus, Incolis ex pago *Opian*, ſe transferrent ad locum præſidio viciniorem. Veniunt igitur primores pagi, petentes locum novæ habitationi aſsignari. Hanc deſignationem faciebat Præfectus ipſe, qui tamen jam ſuſpicione præoccupatus malæ fidei, pedem non

extulit

extulit; ſed militem ex gregariis ſubſtituit, qui operas dirigat; quod dum aggreditur, fuſtem illi rebellium unus tanto impetu in caput impingit, ut mortuus conciderit miles. Tres alios inſuper præſidiarios, quos extra caſtrum invenerant, pari crudelitate interimunt. Hæc ſigna ſufficiebant *Joſepho*, ut intelligeret, quàm procul flamma aſcendiſſet. Domi igitur in defenſionem arma parat: ut tamen certiùs cognoſceret, quo loco foris res eſſet, octavâ Auguſti in campum egreditur, non alio, quàm decem militum manipulo, in expeditionem accinctus. Cùm ecce, ex improviſo obruitur à quadringentis barbaris, qui illum fortiſsimè aggreſsi, lanceis, lapidibúsque fulminabant. Suſtinuit tamen intrepidus & fregit ſecundum, ac tertium impetum barbarè vociferantium. At quia novæ ſemper ex latebris & navibus (nam ad litus pugnabatur) acceſsiones fiebant, nè decas militum tandem à multitudine

obrueretur, receptui cecinit, ſuósque bono ordine ſalvos & illæſos, poſt trium horarum conflictum ad caſtrum reduxit, nè uno quidem vel leviter ſauciato. Sauciatus autem fuit ipſe in animo ſuo graviſsimè, quando certis jam nunciis intellexit, quæ in *Agadna*, quæ in *Tinian*, quæ in *Gani* à perduellibus patrata erant, navibus inſuper, nè quæ ſpes evadendi ſupereſſet, ereptis. Et hoc in extremo mundi angulo, quem nullus amicorum prætervehitur, ſinè proprio navigio, quo vel ad denunciandum ſociis extremum periculum uti liceret, ſinè pulveris pyrii, & aliorum in bellum, ſi protrahatur, neceſſariorum ſuffecturo apparatu, cum triginta quinque ſolùm militibus, quorum pars major continuis vigiliis, laboribus, & infirmitatibus fracta, armis tractandis ampliùs haud foret idonea, contra tantam hoſtium indies accreſcentium multitudinem, ſuapte naturâ, nunc autem ex fuſo jam tanto fidelium ſangui-
ne

ne longè magìs ferocium. Neque tamen his omnibus malis frangi potuit, quem mens altior regebat. Sed ut milites metu propè exanimatos ad eandem animi fortitudinem erigeret, tum per ſe, tum per præconem Evangelii, quem ad latus habebat, rationibus magìs Divinis, quàm humanis adhortari cæpit. Erat is *P. Mathias Cuculinus*, & ipſe ex Boëmia Apoſtolus, qui in medium militum proſiliens, hanc ad illos orationem habuit: ſpem omnem in DEO poſitam, ceu loco ſecuriſsimo, ſcirent; cui æquè facile ſit in paucis, ac multis, infirmis, ac robuſtis vincere. DEI nimirum, & ſanctæ Fidei cauſam agi. Se quod attinet, velut pignus adfuturi de Cœlo ſubſidii tenere, quòd tales nactus ſit commilitones, qui tot præclaras de perduellibus victorias jam tulerint. Neque enim in terras has veniſſe, ut corruptibile aurum, ſed pretioſas animas quærerent, non ut rem familiarem, ſed DEI unius gloriam ampliarent,

rent, non principatum terrenum, ſed Regnum Chriſti in Barbarorum animis ſtabilirent. Id unum porrò providerent, nè ipſi paratis de Cœlo ſubſidiis obſtacula opponerent, quin potiùs ad favores Cœleſtes condignè ſe præpararent frequenti expiatione conſcientiæ, & inprimis *Pane Fortium*. His adhortationibus Spiritûs ſancti gratia efficaciam addidit, in tantum enim corroborati fuerunt animis, ut metu jam penitus excuſſo, ultro à Præfecto milites peterent, educi in campum, & copiam ſibi conflictûs fieri. Indulta tamen fuit adhuc mora, ut exercitatione frequenti piorum operum, magìs incaleſcerent, cùm pietas ad omnia ſit utilis. Proſcriptâ igitur temere jurantium conſvetudine, & omni morum licentiâ, frequenter admodum iterabant diviniſsima Sacramenta, aliáque Religionis exercitia tanto fervore accumulabant, ut moderatione egerent, ſanctéque affirmaret Pater, ſibi magìs Religioſorum

cætum

cætum, quàm militum præsidium visam esse *Saypensem cohortem*. Ad hæc priùs quàm in hostem educerentur, præter Virginem sinè labe conceptam, geminos elegerunt expeditionis Duces, *Michaëlem Archangelũ*, & *S. Josephum*, neque ab ea die unquam egressi sunt contra Barbaros priùs, quàm simul de genibus invocâssent eorum auxilium. Et sanè D. JOSEPHI manifestam sæpius opem sunt experti, nam ipsâ illâ die, quâ, Sacerdotis hortatu, hunc in Patronum elegerunt, pars una cohortis, multitudine Barbarorum conclusa, illis omni parte fugatis, salva & innoxia stetit. Eidem geminas alias de cæsis perduellibus memorabiles victorias adscribunt. Eidem denique in gratiis referunt, quòd Barbari, dum ultimas vires collegissent, & pleno impetu irruerent in castrum, repentè castris suis desertis obsidionem solverint, & pavore panico percussi, totâ propè Insulâ excesserint. Illud autem præcipuum fuit, quòd Præfectus & Milites

Milites uno ore, & si opus foret jurato testimonio, affirmabant, vice quadam, cùm fervor pugnæ ipsos in confertissimos hostium cuneos abduxisset sic, ut ex omni latere per circuitum jaculis Barbarorum impeterentur, nihil tamen damni in illo æstu certaminis acceperint, quin oculis suis viderint tela hostium in aëre arcanâ vi confringi, & confracta comminutáque ante pedes suos concidere. Cœlo sic favente, jam aliqua allucebat serenitas, necdum tamen ex integro.

CAPUT XXIV.

Multis cladibus attriti perduelles in Saypan, reddunt suam Insulæ quietem, & Josephus Quiroga in Agadnam revertitur.

ANtequam perduelles ope Sancti JOSEPHI ex Insula ejicerentur, reliquis pacem & veniam petentibus, magno periculo res acta fuit. Ad quod paucitas præsidiariorum, hostium multitudo juvit plurimùm. Quam-

Quamvìs enim Hydræ huic non pauca capita decuterentur, auctior tamen pluribus, redibat identidem in campum. Sic 16. Augusti tres Insulæ *Saypan*, *Tinian*, & *Agiguan*, aliquibus etiam ex *Insula S. JOANNIS* accurrentibus, unitis simul viribus, septum præsidii, divisis in omnem partem copiis, ad Aquilonem, & Austrum (nam ab oriente paludibus, ab occidente mari continebantur) furore maximo, & clamore incondito aggressi sunt. Oppugnationi initium dedêre fundibularii, injectâ intrà septum ingenti lapidum copiâ, velut imbre densissimo, post quem generali assultu perrumpere aditum iteratis vicibus tentârunt, semper autem cum clade rejecti sunt: machinis minoribus, & fistulis æneis, sed inprimis militum constantiâ ac robore, DEO illos protegente. In sex horas sustinere oportuit hunc assultum, quousque barbari fracti animis, in fugam verterentur. Redierunt tamen secundò, redierunt & ter-

tiò,

tiò, majori ſemper cum apparatu, majoribus viribus, majore ferocia, ſed DEO pro ſuis pugnante, cæſi ſemper & attriti, in latebras ſe receperunt, nullo præſidiariorum damno. Quâ tamen perduellium inquietâ audaciâ irritatus Præfectus, excurſionibus illos antequam vires colligere poſſent, atterere, & coërcere conſtituit. Relictis igitur ad ſepti tutelam infirmioribus, cum validiore manu in caſtra Rebellium leonis inſtar irruit, diripit, & cæde promiſcuâ fugat. Erant caſtra illorum præmunita foſsis & innumeris oſsium, & lignorum acutiſsimorum haſtulis, diviſa in varias claſſes, in ſingulis per trecentos & quadringentos, fundis & lanceis armati ſtabant. In hos Præfectus impetum faciebat cum ſuis 12. ſubinde 15. nunquam ultra 18. ſed lectiſsimis viris, tanta ſtrage barbarorum, ut confuſis ordinibus ſe abjicerent in præcipitem fugam. Quos ille inſecutus ſuccenſis eorum pagis & ſegetibus, ad propagandum terrorem ex

fuga

fuga retrahebat, ſundebat, captis plurimis,pluribúsque ultimo ſupplicio deletis. Donec fatigati, fractíque, pars in *Tinian* Inſulam,pars in prærupta *Saypenſia* ſe reciperet,pars tertio à rebellione menſe ſupplex facta, pacem & delicti veniam poſtularet. Victis, ſuppreſsíſque rebellibus, unum ex captivis, mortem ejus amicis minitatus, ſi fidem falleret, cum epiſtola ablegat in *Agadnam* ad Prætorem Præfectus, à quo tandem reſponſum obtinuit,ut relictis omnibus impedimentis in *Saypan*, auxilio veniret prætoriano præſidio, ídque omni quâ poſſet celeritate. Non erat navigium proprium pro tranſitu, alienas cymbas adhibere prohibebat recentiſſimi casûs memoria, quo perduelles nautæ Capitaneum cum ſuis ad Inſulas *Gani* in mare abjecerant. Secretiſsimo inſuper opus erat conſilio, nè ſi meditatum iter innoteſceret Indis, ſpe proximæ libertatis novum ſcelus attentarent. Simulandum igitur ratus, ſpargit in vulgus, in *Tinian* Inſulam

Insulam se abire, ut ibi in belli authores advertat. Cymbas igitur ad transfretandum à pagi *Opian* incolis expetiit, sed cum festinatione, nè abitus vulgaretur, & qui ad latebras confugerant perduelles, in exitium suum excurrerent. Offerunt cymbas suas promptissimè *Opianenses*, sive quòd sperarent intercludendum deinceps Hispanis reditum, sive quòd crederent, etiam Præfectum hunc cum copiis suis, eâdem operâ, quâ ad *Gani* in Oceanum effundi posse: nec deerant, qui hujus conjurationis præmonerent ex ipsis Indis fidelibus. Verùm, Præfectum neque manifestum hoc periculum, neque maris eo tempore ad navigandum minimè idonei paria discrimina, neque numerosa hostium classis, quæ mare ad illum perdendum oberrabat, justissimus metus, à proposito exequendi Prætoris mandatum deterruit.

Rebus igitur, prout patiebantur, sic ordinatis, ut spem faceret proximi reditûs

reditûs cum majoribus etiam viribus, & victricibus armis, nautas ità funibus implicat, ut poteſtatem quidem retinerent regendæ navis, nullam tamen proditionem moliri poſſent. Sic in octo cymbas diſtributis ſociis, portu exit 21. Novembris. Verùm (O! iterum Judiciorum DEI abyſſum!) dum Inſulæ *Tinian* adnavigant, tantos æſtu maris (qui eo in loco ingens eſt) concitatos reperêre fluctus, ut omnes manifeſtum interitûs periculum adierint. Et tres quidem cymbæ cum 15. militibus, qui contra Præfecti mandátum nimiùm terræ propinquârunt, naufragium fecerunt, nequicquam aliis cymbis auxilium ferre laborantibus, nisì eodem naufragio involvi vellent. Cognitum tamen poſtmodum eſt, eos naufragos undis ereptos, partim in *Tinian*, partim in *Saypan* detineri. Reſiduæ quinque cymbæ ſuperatis procellis, & maris fluctibus, inſolitùm furentibus, eluſis prædonum inſidiis, & frementibus hoſtibus in

 Agad-

Agadnam ſalvæ 23.Novembris appulêre. Hunc in portum ingreſſum *Joſephus de Quiroga* cum 20. militibus, & Sacerdote noſtro, animabus in purgatorio detentis debent, quibus *Agadnenſes* Patres magnum Sacrificiorum numerum & Prætor quingentos Imperiales, in ſacra alibi legenda devoverat. Mox autem, ùt inquieti perduelles in Inſulas *S. Joannis* reditum *Joſephi* Herois cognoverunt, tantus reas conſcientias pervaſit pavor, ut deſertis pagis plurimi ad remotiores Inſulas diffugerint: Mediterranei autem in ſylvarum & montium latebras. A quo tempore, à Decembri ſcilicet 1684. uſque ad Majum 1685. non paucæ excurſiones ad reddendam pacem priſtinam huic Inſulæ, inſtitutæ ſunt, optato ſemper eventu, nullo unquam ex Chriſtianis militibus deſiderato.



CAPUT

Caput XXV.

Certamen graviſsimum Ven: P. Auguſtini in hoc Inſularum Marianarum ſtatu.

NUnc verò, ut in illo concludam, cujus gratiâ totam hanc hiſtoriam dedi, ad ultimum agonem *Ven: Patris Auguſtini* propero. Dabunt felicio-res calami etiam reliquorum Virorum Apoſtolicorum, quos eadem pro Chri-ſto moriendi felicitas verè fecit eſſe Germanos, condigna meritis Elogia; mihi quia particulares notitiæ de-erant, non licuit eſſe tam felici. In lucro referam, ſi exemplo ad ſcriben-dum provocavero; & provinciæ, cui me totum debeo, vel in hoc uno Viro gratum præſtitiſſe obſequium intelle-xero. Vocatus in *Agadnam* pro 24. Julii, ùt erat ad omnẽ Superiorum nu-tum accinctus, nihil ſanctius habuit, quàm ut ſtatuta die eò ſe conferret; ſed quidquid ageret, ex loco movere ſe non potuit, ſemper ab intemperie maris rejectus. DEI hoc conſilium

 fuit,

fuit, qui ſic omnia in gloriam ſervi ſui diſpoſuit. Tandem propitium nactus ventum, *Agadnam* properat. Dies erat 27. Julii. Nocte diem hanc antecedente (prout ſuperiùs retuli) alterum in præſidium *Agadnenſe* impetum fecerant primi furoris complices, ut, cùm loco potiri non poſſent, everterent quæ extra caſtrum erant, Religionis ſacræ (cujus odio furebant) trophæa, Eccleſiam nimirum, Reſidentiam Miſsionariorum, & Juventutis, ac primæ Innocentiæ ſeminarium.

Hæc omnia illo adhuc veſpere manu ſacrilegâ in flam̃as dederant, cùm primo manè ex *Rota* Inſula advehitur *Ven: P. Auguſtinus*, jámque portum ſalutaturus, cùm ab oratione oculos elevat, videt miſerabile buſtum, & ex ruderibus adhuc fumantibus in altum ejectas ſcintillas, & in mari velut ſpeculo, rei peractæ totam ſeriem. Hæc tæda phoſphorus illi fuit lucis melioris. Intelligebat nimirum, quò à DEO vocaretur, & quantulo intervallo diſtaret à portu

portu tot votis expetitæ felicitatis : ſi portum *Agadnenſem* ſubiret, compos futurus. Si etiam moras traheret in mari, jam occupatores Inſulæ ſibi deſignâſſe non involuntariam victimam. Quin igitur potiùs ageret, quod agendum erat. Sed quid illud? ut ſe ultroneam in manus hoſtium hoſtiam offerret, & invitabat felix opportunitas, & impulſu vehementi urgebat, quod à puero in ſinu ſuo fovit, pro Chriſto moriendi deſiderium. Altius tamen ab alto immiſſum conſilium, velut ex arena, ruentem jam in mortem affectum frænabat. Nè videlicet temere quid auderet, nè populum ſibi concreditum, DEO adhuc fidelem, in evidenti ſalutis æternæ periculo conſtitutum, ſuo, ſi ullo tempore, ſubſidio egentem, gregem paſtore deſtitueret. Vel enim populus ille conſervabitur in fide, & DEO accreſcet lucrum tot animarum, ſuíſque humeris poterit in ruinam jam inclinatam DEI in *Marianis* Inſulis Eccleſiam ſuſtentare; vel ſi

tandem in hoc conatu ſuccumberet, non defuturam, quam tot votis concupiverat fundendi pro DEO, & grege proprio ſanguinis, occaſionem. Sic urgebatur utrinque, mori pro Chriſto; & quid melius? ſi tamen animam ſuam ſervaret adhuc, poſiturus tandem pro grege. Et hoc Divini erat conſilii, imò exempli. Ipſe enim DEI Filius mortem etiam oblatam non acceptavit ante horam, quæ erat præfixa à Patre. Sed hanc horam *Auguſtinus* non noverat. Et ut certam gratiam ex manu dimitteret? Coarctatus in hunc modum inter affectum & rationem, quid in corde ſuo dixerit, neſcio: quid concluſerit, quia ad hiſtoriam pertinet, referam. Abrupit hunc agonem propè ſanguineum confortans Angelus, lumen de Cœlo illi miſſum, quo & ſecurus reddebatur de calice paſsionis, quem illi jam propinaverat Pater cœleſtis, & ſimul monebatur, ut diſcipulos fortaſsis jam in fervore primo tepidos & torpentes reviſeret,

ret, neque ultimis & gravissimis Neo-Conversorum necessitatibus deesset. Surgens igitur ab oratione vultum ad suos, proram rursus in *Rotam* Insulam convertit. Jam à casu describe diem non solis ab ortu; nec enim in Christianis laudantur initia. Omne verò punctum ille tulit, qui sic principium fini connectit, ut qualem incepit telam, absolvat, & quem à primo rationis diluculo affectum in DEUM suscepit, in hoc concludat. Talis fuit vitæ series in *Ven: P. Augustino*, ut qui vitam omnem ad unius obsequii Divini rationes exegerat, hanc ipsam pro majore Divini Nominis gloria in ejusdem Confessione absolveret, purpuratus proprio sanguine Fidei testis, & vera victima Charitatis. Sed nè morer desideria, quæ ultimum *Ven: Patris* Agonem sanctâ quâdam impatientiâ extorquent, rem planissimè expedio.

Caput XXVI.

Gloriosus & piissimus Obitus Venerab: P. Augustini Strobach.

UT primùm ad suos in Insulam S. ANNÆ, sive *Rotam* rediit, simul metu absolvit sollicitum pro Pastore gregem. Erat *Rota* Insula infame quondam nomen, nidus eorum, qui à principio sanctæ Fidei progressibus toto se pectore opposuerant, receptaculum perduellium latronum, qui primi manus suas sanguine primorum Apostolorum fædaverant. Sanctâ tamen conversatione & usu mansvetissimi Patris, ità fuerunt & subacti & deliniti, ut inter omnes *Marianos* constantissimi in Fide erga DEUM & Patrem suum perstiterint *Rotenses*. Didicerant nimirum Patris affectu se foveri, quo commoda ipsorum temporalia æquè ac spiritualia, vigil & pernox quibus posset industriæ Charitatis impensis, procurabat. Nam & onera, quibus à Præsidibus distinentur ut imminue-

minueret, pro authoritate quâ apud Prætorem pollebat, facilè impetrabat, quæ autem eorundem commodis profutura cognoſcebat, liberali ac benefica manu cum ſingulari propenſi in eos ſtudii ſignificatione conferebat. Quibus officiis extorſit non ſolùm reciprocam benevolentiam, ſed quandam neceſsitatem impreſsit, ut non poſſent non diligere, quem totum charitate diffluere experimentis tantis didicerant. Dum autem *Pater Ven: Agadnam* abiviſſet, jam in *Rotam* emiſſarios ſuos expediverant perduelles S. JOANNIS, qui & ſacra & profana omnia in ſuam poteſtatem veniſſe mentirentur, & ut ſimilia in ſuum Paſtorem auderent, promiſsis ac minis urgebant. *Rotenſes* tamē ſacrilegos hos Oratores magno conſenſu primùm rejecerunt, deinde ſecreta inter ſe conſilia habuerunt de modo & via, quâ cariſsimum ſibi Patrem ulteriori periculo eximere, & in tuto collocare poſſent. Reducem igitur congratulabundi excipiunt

cipiunt, Fidem & operam in ejus tutelam ſpondent, quæ ipſo abſente attentata ſint, referunt, & ſimul annunciant, Indum illum, qui à R. P. Vice-Provinciali ſub principium tumultûs cum literis miſsus erat, ut Miſsionarios reliquos periculum edoceret, *Rotam* veniſſe, nec aliò progreſſum. Quæ res votis ipſorum vel maximè obfuit. Audiens enim *Ven: Pater*, *Saypenſes* Præſidiarios, & Miniſtros Evangelii per vicinas Inſulas, adhuc periculi ignaros vivere, internuncios verò Rebellium omnia in ſeditionem trahere, nova illa ſollicitudo pro ſociis denique effecit, ut tutiora poſtponeret, in pericula abiret, jam altiore ad hoc impulſu ſic urgente. Quod conſilium quidem diſſuadebant amici, ſed cùm actum agerent, & viderent Patrem optimum obfirmato animo in mortem abire, & literas quas Nuntius retinuerat, ad ſocios deferre velle, non incomitatum dimiſerunt. Duas igitur cymbas inſtruunt, quibus Patrem deve-

devehant in *Saypan*, in quo iterum eminet, quæ erga *Ven: Patrem* ſingularis ſemper fuit ſumiNuminis providentia, curantis, ut non deeſſent ſupremi Agonis teſtes fideles. Nam ex amore comitatos fuiſſe, fidem fecit eventus, cùm enim & numero & viribus impares, ereptum à perduellibus *Tinianenſibus* Patrem, in libertatem vindicare non poſſent, in fide tamen erga illum perſtiterunt, nam poſt felicem ejus obitum, cùm ejecti ex *Saypan* Inſula Rebelles è S. JOANNE ad *Rotam* confugiſſent, & in odium Religionis incendiarias manus in Reſidentiam & Eccleſiam, quam *Ven: Pater* eo loco à fundamentis erexerat, pararent injicere, ſacrilegos compreſſerunt, ædémque ſacram à flammis ſervârunt.

Ad Inſulam *Tinian*, ubi canoas (ſic cymbulas vocant) applicuit *Ven: Pater*, qui omnia agebat ex conſilio communicato cum DEO, præmiſit ex vectoribus unum, qui excurrens in litus, referret, quo ſtatu res eſſet in illa Inſula.

Cujus

Cujus reditum dum expectat; latrones *Tinianenses*, lembos observant (erant enim ipsi illi perduelles, qui *Josephi de Quiroga* naves pessumdederant) impetu igitur ruunt, & in cymbas insiliunt, reliquísq; innoxiis furorem omnem in *Patrem Augustinum* expediunt, quem arreptum, concussum, raptatum ex scapha in terram, crudeliter vinciunt adstrictis post tergum manibus, non renitentem, non vultu commotum, sed manus ultro offerentem in nexus.

Quas tunc in animo DEO gratias decantavit, quòd se tanto honore dignatus sit? oculis enim respiciebat in cœlum, reliqua corde premens. Sic vinctum raptant ad pagum *Soncharon*, perducúntque ad coloniæ illius primarium, qui conspectâ Crucifixi effigie, quæ ex collo Patris pendebat, in eum furorem abiisse dicitur, ut violentè detracto sacro hoc cymelio, illud sacrilega manu jactans, in blasphema hæc verba proruperit: *Hic est Macanan, Magus, & impostor Christianorum*; voléns-

lénsque ſaxo confringere ſalutis myſterium, prohibitus fuit ab Indo Chriſtiano occulto, qui hoc ſpolium ſibi relinqui petiit, animo, ùt poſtea faſſus eſt, ſervandi ſacrum hoc pignus in venerationem amantiſsimi ſibi Patris. Nihil ulterioris violentiæ à Barbaro paſſus eſt Pater, altiore utì credo conſilio, ut ad ſimilitudinem Patientis Filii DEI per plura tribunalia raptaretur.

Transmittitur igitur ad alterum vicum *Marpu* dictum, cui præerat à Religione ſancta fœdus Apoſtata, qui immemor fontis, quo ſalutariter ablutus fuerat, dum Pater hauſtum aquæ frigidæ ab eo peteret, non ſolùm protervè negavit, ſed ut à ſe ablegaret inviſum caput, cujus vel ſolus aſpectus impio deſertæ Fidei flagitium exprobrabat, ad alterum pagum levcâ integrâ diſsitum deportari jubet, ſeverè prohibens vectoribus, quamvìs ſiti emori deberet, non ſtillam aut guttulam aquæ ſitienti indulgerent. Tandem Judici ſiſtitur; erat is perduellium caput

Quigao

Quigao dictus, Chriſtiani Nominis hoſtis infenſiſsimus. Qui ſatellites interrogans, quid toto tractu itineris egiſſet vinctus, illis autem reſpondentibus, cum nemine locutum, præterquam cum ſolo DEO, totam illam diem exegiſſe in oratione, fundendo preces, quas Chriſtiani in uſu habent; *Bene habet*, repoſuit homo efferus: *Nunc videbimus ad quid conferant preces Chriſtianorum. Ven: Pater* ad blaſphemam hanc vocem, cùm hucusque ſiluiſſet & in ſecreto cordis Agonem ſuum DEO commendâſſet, ruptô ſilentiô, ſic loqui exorſus eſt: *DEUM ſibi præſentem eſſe, & ſuî Protectorem, & eorum quæ ſibi profutura eſſent moderatorem. Mortem ſe quidem non timere, quam pro DEO ſi opus foret, etiam millies animo paratiſſimo ſubiturus ſit; cupere tamen ſe ſcire, quam cauſam necis prætendant, cùm neminem ex ipſis, vel dicto, vel facto per vitam ſuam læſiſſet.* Ad quam vocem cùm obmuteſceret Barbarus, an furore, an alia ex cauſa: inclamant, qui juxta ſtabant

ſacri-

ſacrilegi: *& Tu quem DEUM nominas; quis ille DEUS?* quas voces interrumpens parricida: *non agnoſcimus hunc quem dicis DEUM, & in quo te juvare poſſit, jam viſuri ſumus,* ſimúlq; in fauces *Ven: Patris* fuſtem prævalidum, quanto poteſt impetu vibrans, guttur frangit, & ter beatam animam, ictu unico transmittit in ſinum æternæ Beatitudinis, nec enim fas eſt aliud credere.

Et hic fuit coronatus exitus Viri in omni ſanctimonia conſummati. Qui dum vixit, DEO hoſtia vixit perfecta, & beneplacens, Angelis & Cœlitibus gratum ſpectaculum, fratribus, & ſociis, ſub eodem ſanctiſsimo JESU Nomine adhuc merentibus, vivum virtutum Religioſarum exemplum, illis præſertim, quos in chara ſibi Provincia Boëmiæ ad imitationem provocat, ut & ipſi *ſequantur veſtigia ejus.*



Caput Ultimum.

Gratiæ Singulares, quibus pretiosam Venerabilis P. Augustini animam exornavit DEUS.

QUæ benignitas DEI est, non sinit servorum suorum merita abscondi sub modio, sed in lucem protrahit, signis etiam supra naturam, quibus claritatem, quâ illos in Cœlesti gloria donat, manifestat in terris ad Majorem Gloriam suam. Neque diffidimus suo nos tempore audituros etiam miraculorum præcones, cùm Dominus Ecclesiam *Marianã* felicioribus successibus condecorare voluerit. Hoc loco solùm pro coronide in compendium reducam gratias illas, quæ quidem naturæ vires superant, sunt enim altioris ordinis, sed quoniam ad solum spectant thesaurum virtutum, non numerantur inter illa prodigia, quæ vulgus expectat.

Et

Et primo quidem loco cenſeri meretur *vitæ tenor conſtans* à prima Innocentia uſque ad ultimum halitum, nunquam in propoſito vacillans, nunquam à ſplendore ſuo remittens, verbo, eadem facies, nunquam à ſeipſa diſsimilis. Quem enim habitum virtutis induit puer, hunc retinuit adultus, hunc ſæcularis, hunc Eccleſiaſticus, hunc Religioſus, per tirocinium, & Magiſterium, domi ac foris, in Boëmia, Hiſpania, Mexico, inter ipſos Barbaros, vivens ac moriens: ſic ut ex præcipuis novæ Hiſpaniæ Patribus indubitanter de eo aſſerat: *Rariſsimas fuiſſe dotes, quibus beatam hanc animam cumulatim adornavit DEUS, in exemplar vivum virtutum omnium, quibus ſe DEO, & hominibus præſtitit amabilem. Vener:* verò *P. Emmanuel de Solorzano*, ejuſdem in *Marianis* Inſulis, & ſuperior, & in paſsione ſocius, de vivente adhuc edixit: *Virum eſſe multæ Orationis, DEO prorſus deditum, & qui ad excelſum familiaritatis cum DEO gradum videatur ad-*

 miſſus.

missus. Modestia, quam congenita verecundia adhuc parvulo aspersit, nunquam defloruit, sed adolevit in illam maturitatem, ut ipsis Barbaris sacrum horrorem in suî venerationem incuteret. Manus quas à puero inter orandum ante pectus collectas, & in cœlum porrectas tenuit, etiam in navi, in itineribus, inter ipsos Barbaros eodem situ retinuit. Rigor in proprium corpus crevit cum ætate. Culices inevitabile *Marianorum* Incolarum tormentum nec abigebat quidem. Paupertatem colebat studiosè, & quæ vilissima admittebat; studio munditiei reddebat durabiliora; quâ curâ, vestitus quem ex Boëmia attulerat, post tanta annorum, ac itinerum intervalla usui adhuc esse potuit in Indiis. Inflammatissimos ejus in DEUM, Deiparam, ac Cœlites amores, actiones omnes, & verba, & epistolæ hodiedum loquuntur.

Altera gratia fuit prorsus *illibatum transivisse per hoc seculum.* Cùm enim à primo

primo uſu rationis aſſveviſſet DEO, cum illo tota animæ benedictæ erat occupatio, utì rectè conteſtati ſunt Barbari ipſi ultimi agonis teſtes. Omnes ferias ſextas conſecraverat Indiarum Apoſtolo ad obtinenda incrementa ſancti fervoris. Totus erat in ſoliloquiis, & Enchiridio S. Auguſtini, in Divinis nominibus P. Leſſii, & flammulis Divini Amoris pervolvendis. Senſus habebat coërcitos, affectus domitos, illicia omnia curioſitatis perpetuô interdictô proſcripſerat, cùm neque in peregrinationibus per Germaniam, & Hiſpaniam, dum mundo Europæo valediceret, ſpectacula ceterùm pia ſibi indulgeret, utpote cui jam pridem Mundus erat Crucifixus, & ipſe Mundo. Quâ ſuî cuſtodiâ dubium non eſt, theſaurum intuliſſe integrum, & nullâ parte diminutum in Cœleſte Gazophylacium.

Tertia Gratia fuit, cujus jam ampliùs potens non erat, deſiderium vehementiſsimum *vitam prô DEO violenta*

morte commutandi. Quos igniculos cùm adhuc puer ſuſcepiſſet, vix explicabile eſt in quantum incendium excreverint per omnem reliquam ætatem, maximè dum ſe vidit tot glorioſis occaſionibus expoſitum, animam ſuam in manibus circumferre. Atq; ità vitam egit amantium, & cum prægustu quodam beatitudinis, quam ſemper circumferebat in votis, inſequebatur deſideriis. Unde mors pro CHRISTO fuit ipſi dulciſsima. Quam quidem breviſsimo Martyrio abſolvit, poſt tam longum deſiderii Martyrium, quod, licèt ſit ſvaviſsimum, ſimul tamen acerbiſsimum, quia tortorem habet violentiſsimum, nihil enim violentius amore; dulcis tyrannus, ſed morte quavis acerbior, quod nemo intelliget, qui adhuc neſcit amare. Cetera enim tormenta torquent nos deprædatione bonorum infimorum, Amor cæleſtis altiùs vulnus figit, dum nos cruciat expectatione & dilatione ſummi, & incommutabilis Boni.

Tan-

Tandem *finalis Gratia*, eſt illa, quæ ſub meritum non cadit, ac proinde pura eſt gratia non currentis, ſed miſerentis DEI, cujus ſanè fidelis character eſt, vita in obſequio DEI cum ipſa profuſione ſangvinis conſummata. In qua tamen gratia illud præfulget: quòd paſsio *Venerab: Patris Auguſtini* tantam habuerit ſimilitudinem cum Paſsione Servatoris. Nam & illi præluſit *Judas* ſacrilegus, & in vincula raptatus fuit à cohorte Rebellium, & per Tribunalia quatuor tractus, & in ſiti ſua illuſus, & tandem in ligno vitam finiit, & ut inſuper titulus non deeſſet, hunc ſupplevit proteſtatio Barbari, quòd in odium ſupremi Numinis Præconem S. Evangelii ſuſtulerit, fuſte in guttur velut organum prædicatæ legis Chriſti crudeliter impacto. Sic vixit juſtus iſte, cujus morti, ut noviſsima noſtra ſint ſimilia, conformemur in meritis, proficiamus exemplis.

Ætas omnis, quam in terra vixit, annum nonum ſupra trigeſimum non excedit,

excedit, ætatem tamen CHRISTI adimplevit, qui annos æternos ſemper in mente habuit. De quo ex Inſulis illis ſcribit ejus Collega: *Virum hunc, quotquot in Hiſpania, Mexico, Marianis Inſulis noverunt, ore pleno ſanctum prædicabant, quem ego (privato tamen ſenſu, & devotione mea) inter veros Chriſti Martyres habeo, ac DEUM altiſſimum, per ejus piiſſimam interceſſionem rogo, ut gratiam ipſi fideliter ſerviendi, & mihi miſericorditer largiatur.* Quem privatum Viri hujus ſenſum, Sanctiſsimæ Matris Eccleſiæ, cujus ſolius eſt hoc judicium, ſicut & reliqua omnia, quæ in hac hiſtoria refero, quàm reverentiſsimè ſubſterno, conteſtans nolle me fidem iis humanâ majorem adhiberi.

Honoretur DEUS in Sanctis ſuis.

